DE VARIOLIS

The John Carter Brown Library

Acquired with the assistance of the

LYMAN G. BLOOMINGDALE BOOK FUND



BIBLIOTHEK
SCHLÜSSELBURG

DISPVTATIO MEDICA
GENERIS HISTORICI
DE
V A R I O L I S.

RATISBONAE,
CVRABAT EMANVEL ADAM WEISS.
MDCCLXIII.

- - - *Quæ ſint morbo mortique neceſſe'ſt*
Multa volare. LVCRET. DE RER. NAT. LIB. VI. ℣. 1093.

RPJCB

FRANCISCO L. B. DE LINCKER ET LVTZENWICK, D. IN ROMSBERG, DENNSTEDT ET NIEDER-TIEFFENBACH

NATALEM DIEM SUUM A DECIMO ALTERUM AGENTI

VIII. Id. Febr. An. Aer. Chr. MDCCLXIII.

AVCTOR.

*Salve multum Claris * Natalibus, egregia Forma, & præclara Indole FORTVNATE PVER: Salve agas diu mente vigens, & corpore incolumis. Qui decimo ætatis tuæ vertente anno a puerilibus ineptiis jam amoviſſe animum aperte ſatis oſtendis. Quandoquidem nihil meditans nugarum ſtudiis hiſtoricis fructuoſam navas operam; ſcriptoresque latinorum optimos bene libenter lectitas. Imo quoniam anticipas cum gravitate ſermones habere ſerio, & proprie ac diligenter loqui, propterea mihi venit in mentem ſuſpicari, placituram Tibi eſſe diſputationem hanc de negotio ſalutis, plane graviſſimo, pure latine deſcriptam. Quare amanter oblatam fac liberaliter acceptes; quin paulo fidentius perlegendam cape. Videlicet ſecundum naturæ ſoſpitalis monita, & rationis præſcripta, nec non juxta ſalutaris artis decreta fideliter lucubratam; eoque præſertim conſilio ad oculos hodie deductam tuos, ut mature cogites, humano patre natum poſſe quidem multifariam in morbos, ægritudines, aliave inopinata valetudinis detrimenta incidere: ſed tamen, ſicut malorum cauſæ mortalibus abunde ſuppetunt; contra item plurima faciunt ad reſiſtendum, ad ſanan-*

 dum,

* Pater PHILIPPVS GVIGLIELMVS ab Aula Moguntina ex ſecretioribus conſiliis miſſus Legatus ad Comitiorum, quæ Ratisbonæ habentur nomine totius Imperii, Directionem. Mater BENIGNA DE REISCHACH.

*dum, vel ad mitigandum ſaltem. Quippe natura omnis ad præſtitutum diſſolutionis tempus conſervatrix ſui generatim ac ſingulatim, vitalia & ſalubria * innumerabiliter ubique parat & miniſtrat. Quæ ingenio acutiſſimi ſucceſſu temporum interrupte adverterunt; atque deinceps ætate poſteriores colligentes firma denique præcepta medendi a notionibus certis deducta, e gremio quaſi DIVINAE SAPIENTIAE feliciſſime delibarunt. Interea mollibus hiſce annis ad liberales diſciplinas erudiendus, ævo progrediente, ſi, quo cœpiſti, ad virtutem ire perges, pulchre inſtructus opibus, genere ſummo natus & apprime probo, facilem dehinc & planam, quam prudentia ſuaſerit, vel fors obtulerit, inſiſtes viam ad aggrediendum ** actutum, ad rempublicam capeſſendam, vel dignitates honorifice comparandas; etenim ad legationes, ad militaria imperia, ad Cæſaris Regumque agitanda conſilia, tum ad aulica nobiliſſima obeunda munia & Pater & Patruus, & grandis natu Maternus Avus, & Avunculi & Matertera illuſtribus ac notis prælucent exemplis. At vero quorſum genus, opes, labor, & ſtudia, niſi ſanitas corpusque animumque relevet? Igitur tempori diſce, valetudinis pericula & munimenta, damna & refectiones tecum *** aſſidue reputare: ac perinde corporeæ tuæ molis augmento meliora fundamenta ponere. Ita FORTVNATE PVER amantiſſimi Patris FILI VNICE poſt tardam facilemque ſenectam poſteris tuis trades inviolata quæ in TE derivavit fortuna propitia, quæque clariſſima & pretioſa tam Paternæ virtutes & nobilitas, quam ſummum antiquiſſimum Maternum genus fauſte feliciter proſpereque eventura Tecum communicarunt.*

* CIC. de Nat. Deor. Lib. II. cap. 53, *Medicamentorum ſalutarium pleniſſimæ terræ.* Cicero M. Tullius natus eſt Arpini in Campania an. U. C. 645. L. Caſſio Comino & C. Mario Coſſ. Interfectus an. 64. ætatis ſuæ juſſu M. Antonii Triumviri ab Herennio & Popillio prope Capuam.

** CIC. de offic. lib. I. cap. XXI. *Sed iis, qui habent a natura adjumenta rerum agendarum, abjecta omni cunctatione adipiſcendi magiſtratus, & gerenda reſpublica eſt.*

*** PLUTARCH. *in lib. præceptor. de ſanitat. tuend. cap. II.* Lepide adducit Zeuxippum plaudentem Moſchioni propterea, quod redarguit hominem philoſophum, qui medicinæ non ſit ſtudioſus. Quin etiam laudatur Moſchio diſputans & concludens, abſonum a ratione eſſe pluris facere, Geometriæ, Dialecticæ, vel Muſicæ navaſſe operam, quam inquirere ac doceri velle, quid intus in proprio corpore uſuvenit: ſcilicet ſcire quæ in ſuis ædibus recte, quæ perperam fiunt. De Plutarcho Svidas: Plutarchus patria Chæronenſis, natione Bœotus, ſub Trajano Cæſare vixit, atque etiam ante. Illum Trajanus conſularibus ornavit honoribus: mandavitque omnibus Illyriæ præfectis, caverent, nequid injuſſu Plutarchi agerent. Scripſit multa.

DISPV-

DISPVTATIO MEDICA GENERIS HISTORICI
DE
VARIOLIS.

Cum parva ſit adeo res voluptatis in vita præ quam quod ſanitas habet ſecum deliciarum, ſi, ut otii vel laboris neceſſitas poſtulat, commode æqualiterque reſpondeat; idcirco nec ipſius lucis uſura videtur ſuavis, niſi frui ſimul valetudine bona contingat. Sanus autem dicitur ille, qui functiones vitales, animales, & voluntarias alacriter conſtanterque peragit, atque ea, quæ ratio ſana dictitat, intelligenter comprehendit. Hinc minus bene valet, cujus aut corpus aut animus aliquo modo perturbatur, peſſime agi ſecum perſentit, in quo actiones & perceptiones nimium a naturali tenore declinant. Veruntamen quia * - - - "*Æquali nihil eſt ſub lege tributum*," aliter viget, aliter ægreſcit aut infans, aut puer, aut adoleſcens, aut vir, aut ſenex: porro aliter mares vel fœminæ, aliter corpus gracile, vel obeſum, imbecillum, ſive robuſtum vere, aut æſtate, autumno, vel hieme afficiuntur. Sed omnium affectionum, quarum vi morbida commutationem aliquam tum corpori, tum animo, ſæpe utrique inferente, modo leviter, modo graviter, brevi, diu mortales ægrotant, & ſemel vitalitas ad interitum usque ſubruitur, aliæ referri ſolent ad occultas cauſas interiores, aliæ ad inſalubria extrinſecus introlata, denique aliæ ad caſus, quaſſus, concuſſus, ictus, vel hoſticam durioris materiæ dirumpentem violentiam. Verum inter innumera, quæ ſaluti hominum perniciosa, quæ peſtifera per immenſum vagantur, & ſicubi propiora terris in ora patulasque nares reſpirantium illapſa tactos inficiunt primo, mox etiam dira contagia ſuſcitant, quæ latius deinde ſerpunt, cladesque propagant, certe *Variolarum* ſeminio idonea, cadant eadem ſuperne, vel inferne ſurgant, ſive ingenerata indidem ex humanis viſceribus emergant, foriſque ad ſe, ceu delato fer-

* M. MANIL. Aſtron. Lib. II. ℣. 111.

fermento ſubigente intumeſcant, univerſis & ſingulis imminent metuenda. Quippe nulla ſinit * ætas, immunem quaſi tanti periculi ſpirantem non expertum tuto gloriari, neque ullus adultus vigor ſatis validis præſidiis firmat corpus adverſus *Variolas* tam excitas recenter, ſi eas humano generi principalis progenerator inſeverit, quam forinſecus cum aëre inſpirato viſceribus allabentes bibulis, aut caldo attactu inter contubernales & proximos communicatas. Magisque formidatas prudentibus eo, quod nec par exitus manet illos ipſos ejusdem contagionis participes. Quorum unus & alter facile ſaneſcunt, gravius non pauci vexantur, miſerrime nonnulli diſpereunt. An vero in lethum, ſeu in aliud magnum malum *Variolæ* evadant ideo, quod principibus vitalis motus inſtrumentis rapide vehementerque inſultantes nec præcauto declinari, nec ulla queant induſtria medica leniri? vel potius quoniam peccatur ſæpiſſime in victu & cultu, turpiterque in curationibus præpoſtere inſtitutis delinquitur? Hæc diſtincte cognoſcere meritum immortale in ſalutem publicam foret; apprime conveniens viris Medicis, qui, pro ſua quisque parte, humanæ genti bene conſultum eſſe velint, in ſuosque populares, optimates, & cives benevolentiam navare ſtudeant ſcientia & opera utiles, non ſola titulorum oſtentatione jactatores vani, temerariis auſis periculoſi, turbulentis & frequentiſſimis remediorum mixtionibus a præſcriptione prudentiæ averſi, futilibusque fere irridendi promiſſis.

II. *Variolæ* trito jam nunc & uſitato vocabulo nominantur paputæ quædam generis peculiaris. Quarum principia diriſſima in congregationes hominum ſæviunt vel contagione transmiſſa, vel abdita ſub interioribus adventitio ſtimulo exerta. Sed quantumvis crebro, & parcendo ** paucis, populares calamitates exaugeant, ſemel per totum

* JO. BAPT. MORGAGNI natus Forolivii die 25. Febr. 1682. in Patavino Gymnaſio e primaria ſede Anatomen adhuc docens in Tom. II. lib. IV. Epiſt. 49. artic. 33. pag. 266. edit. Venet. in Fol. 1762. De ſedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis. *Vel octoginta annos natis accidiſſe novi, ut a Variolarum contagio, cujus ſe immunes putabant, non ſecus ac pueri inficerentur, & multo quam hi facilius perirent. Quanquam in ſæviſſima An. 1749. Conſtitutione Forolivienſi Vetula ea, quam modo diximus, ætate major eo morbo conflictata, raro ſane exemplo, evaſit.*

** Paucis quidem naturales *Variolæ* parcunt & ſinunt inviolatos diem obire ſupremum

totum vitæ curriculum, raro iterum, rariſſime ſæpius eundem tentant homunculum: viſendoque indelebili nonnunquam notant ſtigmate. Vere plerumque circa æquinoctium prodeunt, cum molles herbulæ floresque jucundi verno ſole tepefactam perrumpunt humum. Deinde violentius debacchantur ubi flagrans vapor Sirii & ardor Caniculæ exurunt agros. Sane aſpectu truci peſſimæ *Variolæ* in magnis æſtibus non infantiæ, non pueritiæ, non juventæ, non ætate confectis parcunt: autumnis tamen frigidulis demulcentur auris; brumaque frigidiſſima, torpentes quaſi ſub hiberno gelu, immobiles conquieſcunt. Utique damnoſiores quæ, hieme nequedum exacta, nec vernantibus terris, recrudeſcentes denuo in apertis & in concluſis ſpatiis truculentius perſultant: Cutim enim contra denſatam frigoribus acrius nituntur, quam ex hiantibus tepore verno ſpiraculis exorientes: propterea que fœmineas & pueriles laxiores cohærentias minus incommode divexant, quam robuſtas viriles compages & colligationes. Igitur quandocunque accidit, luem *Variolarum* aut ab alto deciduam, aut ex imo aſſurgentem, ſive ex ipſo genitali conceptu in apertam perniciem evolutam intus commoveri, nec raptim, nec turbate convenit ad proprietates & facultates peſtiferas ſciſſo velamine retegendas converti: Siquidem ſubtiliſſimum virus occulte primum cum calente ſanguine circumvolvitur, & viſcerum tenues membranas tenuiculo conflictu penetrat: deinde collecta undique humorum corruptorum colluvie multo acriores facultates *Variolæ* ſumunt antequam ab intimis latebris ad extima involucra erutæ pertingant: Unde per multiplices exhalationum, & ſudoris vias partim longius foras excur-

runt;

mum ætate confectos. Ubique tamen occurrunt annis graves a peſte ſimili nondum tentati: Quin certa fama viget apud omnes populos & nationes, *Variolas* quocunque tempore nonnullos mortalium intactos ad obitum usque reliquiſſe. Humanæ autem voluntatis cupita & arbitria nemini parcerent, univerſos & ſingulos hortando, ut corpora vulnuſculis & puri objiciant, *Variolas*que ſponte venis immittant. Verum dictitant, vulnuſcula infligi fruſtra, fruſtra pus electum ad peſtis propagationem

indi,

indi, nec *Variolas* unquam educi de corporibus illis, quæ naturaliter intemerandi forent. Sed ſingularis, vel bini caſus quandonam in poſterum documentum univerſis ſtatuunt? Perpetuam quoque ſecuritatem promittunt inſitionem, ut vocant, *Variolarum* perpeſſis. Nondum vero decurſo eo ſpatio temporis, quod requiritur ad præcogitatam ſponſionem de futuris roborandam, prudens conjectura ſignificat, & ratiocinatio declarat, certa de eventuris nimium feſtinanter pollicentibus fidem derogare immaturitatem judicii.

runt; partim recidunt ad venulas minimas, & ad interſtitia, qua lympha vehitur; & partim etiam impeditæ inibi, propter calorem ex fermentante tabo, ex attritu aſſiduo, & accelerato motu coörtum, computreſcunt: Atque dehinc diſperſim facto purulentæ materiæ disparili concurſu, diſpertitis nixibus circumſilit puſtularum omne genus. Ita viſceribus nuper conditæ *Variolæ* quærentes viam, qua ſe exerant relictis interioribus, ſcabioſa quodammodo aſpergine ſuperficies corporis vergentes introrſum, pellemque decoram fœdant, exaſperant, & exulcerant. Imo niſi opportune inter initia fuerit occurſum inſidioſe gliſcentibus, ubi ad pulmones, fauces, oculos, aures, cerebrumve altius actæ redundarint, aut ſanguinem extundunt ſic ut extuſſiatur, vel de capite aliunde uberius profluat; aut improviſo ſuffocant, ſeu excœcant, deformant, & corrumpunt, ſpurcisque aliquem turpatum cicatricibus, humanas formas in perpetuum modum ludificantem vivum relinquunt. Subdola plane ac præceps, nec non violenter exitialis *Variolarum* peſtilitas quandoque eſt. Fallens enim nec ſuſpicantibus obrepit, ac opinione celerius & ſpongioſam pulmonum mollitudinem, & medullas teneras, contortisque fibris robuſtum cordis turbinem invadit: Atque illinc extemplo in arterias provolans cum percito febriculoſo cruoris impetu viſcus quodcunque pervadit, omne punctum attingit, & ad ſummas circumcingentes membranas aſſidue accurrit atque recurrit: Quibus continenter ſuccos acres adigit donec, uti veſpæ ſolent aculeis, mordaci putrore punctim & ſparſim cuncta transfigat. Sanies interim putrida copioſius undique ab intenta febri exprimitur; & quoquoverſus dimiſſa per tenuiſſima ſpiramenta hærens, ubi moratur diutius punctiones primas dilatat circumrodendo. Quapropter una vel ſingularis profunde concreſcens * puſtula, ſi neceſſa-

* MORGAGNI Epiſt. citat. artic. 34. *Puer Nobilis, cui paucæ exterius Variolæ, ſigna autem nulla erant aliarum, quæ viſceribus inſiderent, ſuffocati inſtar moritur. Corpuſculum a Sandrio apertum pulcherrima viſcera habebat omnia. Sed una laryngis muſculis innata erat Variolarum puſtula, & circum hanc ater jam apparebat gangrænæ color.*

Variolas ex homine in hominem inſerendo, an non ſanus quisque infelicis puſtulæ hujusmodi calamitatibus irretitus vitæ periculum conſulto adit? Per quas leges, & movendi tenorem ſtabit, quo minus inditum ſanguinantibus vulnuſculis pus cum ſanguine in omne corporis punctum procurrat? Pus *Variolarum*, quod efficaciſſimum exquiritur, & diligentiſſime cuſtoditur?

Vario-

ceſſariam intercipiat organi alicujus vitalis motiunculam, vivida cætera feſtinat perdere, miſerumque nec opinantem occidit. Increpitare, incuſare fata, fortunam? vah quid odioſius, in ſubita morte decumbentis, medico decepto qui repetat illud antiquum, ſemper ineptiſſimum "*Non putaram?*"

III. Itaque ergo cum ſuſpicio *Variolarum* cadit in repente nauſeantem & dolitantem, arteſque medicas depoſcentem ad levamen ſubiti languoris, & refectionem debilitatis inſolitæ cum acceſſione * frigoris, vel horroris in æſtuoſas perturbationes deſinentis, tunc ſeria cogitatione curaque præſtat incumbere in obſervanda veſtigia & indicia, quæ *Variolas* intus venis aſſumi, aliquanto ante ultimos erumpendi conatus, non obſcure denuntiant. Nam poſt eruptionem, cum aliter cecidit res, ac mens ægrotantis Medicinæ fiducia erecta conceperat, fruſtra tunc a cunctatore artifice ſera ſubmittuntur medicamentorum ſubſidia. Sane temporis ars eſt fortunata quævis induſtria medendi, & nocent remedia exhibita non apto tempore, quæ profuiſſent. Proinde ſempiternum ſit medicis advertere diligenter; ſub quoquo enim aut ortu, aut obitu ſiderum vel ſignorum, in quocunque Aſtro Phœbus decurrat, ubi ſatis conſtans rumor perfert, *Variolas* incidere coram per urbes & oppida, per pagos, & vicos, in hominumque cœtus conjunctaque domicilia diſſeminari, ſi quiſquam unus ibidem loci, aut non procul inde, a tali peſtilentia necdum tentatus, membris alioquin animoque vegetus improviſo fractus metu contriſtatur, deque ignota valetudinis perturbatione anxius queritur, valde ſuſpecta ſimilis perturbatio eſt: eoque ſuſpectior, quo impenſius prætimenti ſibi, recens forſan inceſſerat pavor ex capta vicinæ contagionis notitia. Cæterum quæ primæ aggreſſioni *Variolarum* mox deinde ſuccedunt, promiſcua & communia pleriſque, hujuſmodi prope ſunt. Sine ulla prævia infirmitatis vel ægritudinis perceptione pandiculari, oſcitari, languere, angi: tum ad triſtitiam, tum ad faſtidium

* CELS. Lib. III. cap. 3. *Frigus voco ubi extremæ partes membrorum inalgeſcunt, horrorem ubi totum corpus intremit.* Plurimi eruditorum putant, A. Corn. Celſum ſub Trajano floruiſſe, vel ſaltem natum, ævumque ad Trajani tempora produxiſſe. Aliqui contendunt, uno ſeculo antiquiorem Galeno extitiſſe. Qui ab imperio Trajani ad Ant. Pii tempora dies provexit ſuos.

ſtidium ſui impatienter contorqueri, cum nauſea urgente ad vomitum, ſed egeſtionem conante fruſtra. Moleſtiæ item ſenſiferæ circa ventrem & inteſtina errabundæ, lumbos quoque & dorſum & ſtomachum pervagantes cum ſtimulis acutis præcordia fodicantibus, & ſepto transverſo pertinacius infeſtis. Quibus de cauſis infantes ac pueruli coactu punctionum, quas inibi ſentiunt, cupide inclinantur proni, atque in pectus innixi libentius procumbunt. Sed corpuſcula tenera inſtante jam plane papularum expulſione convulſionibus quaſſata intremunt, adultiora paulo poſt ſudationibus diffluunt. His nonnunquam accedunt arida tuſſis, vox raucisona, ſicci ſcreatus, vellicationes injucundæ urentibus faucibus, naribusque aſpera ſternutamenta. Caput interea diſcruciatur ingrata vigilantia, terrentibus viſis, & abſonis cogitatis cum intentione venarum frontis ac temporum. Itaque animus diu exercitus & inquietior, ſomniculoſo tandem ſtupore marcet. Quando febris in fervido perſeverat æſtu, invitis lacrymis oculi madidi, novo quaſi ſplendent lumine fulgidi, genæ rubicundæ, uſtulata facies, labiaque ſicca, velut ab igne torrida. Enimvero talia cum antecedunt conjuncta vel ſolitaria, graviſſima, vel mitiora, & notitia de intemperie Cæli admoneat, *Variolæ* ad eruptionem adventantes utique nuntiantur, omnibusque conſiliis antevertendum.

IV. Profecto tridui aut quatridui eſſe conſuerunt ſollicitudines & anguſtiæ, quæ animos exedunt, & corpora macerant propter *Variolas* clam ad malum excitas, inque latebroſis interaneorum anfractibus adhuc deliteſcentes. Nam quarto die poſt perturbationes interiores primum ſenſu perceptas, rare tardius, vix unquam ante brevius tempus triduo, extima involucra papulæ adactæ penetrant, atque transfodiunt. Facies autem prior acrimoniæ purulentæ ſpiculis perſcinditur, mox collum & pectus & venter & dorſum & humeri & brachia & manus, & femora & crura & pedes, totum denique corpus alias punctionum, alias puſtularum ceu ſaliente grandine in aliquibus horret. Quod quia non ſemper plene cumulateque perficitur, totidem puſtulis expulſis, quot exigit expiatio partium, quas *Variolæ* tectæ inquinaverant, ſaliva multa profluens favet adultis,

alvus

alvus liquata puerulis. Conſpicui tumores in capite, deinde in manibus cum maxime provectis ætate auxiliantur. Puſtulæ deinceps icore turgeſcunt; ambæ inflantur buccæ; palpebræ, nares, manus poſtremo tument. Diſtentam vero cutem pruritus mordax diſtringit, acerbique cruciatus nervoſam exilitatem diſtorquent, & colligationes artuum, illuc ſi confertim particulæ terebrantes & rodentes, utique acerrima *Variolarum* principia, confluxere. Octavo nihilominus die poſt ægrotationis exordium febris, dolor, anxietas, tumor, & moleſtiæ omnes decreſcunt, dummodo reſpiratio facilis, & vox in conſueto naturali * ſono permanſerint. Nempe quaternis diebus decurrentibus papulæ de cute, ut puncta rubra cum aſperitate quadam emicant: ſanie tum oppletæ perlucent, & extenduntur figura quaſi rotunda paululum faſtigata: exin pure matureſcente albicant; prorſusque demum tumidæ ardentius incenſis diſtinguuntur circulis, quæque alba fuerant interſtitia octavum circiter diem vivido rubore colorantur: Poſtmodum in facie occipiunt primæ flaveſcere, cruſtisque obductæ denſioribus infuſcari. Cum res ita procedunt, nec vultus penitus abſcondatur conjunctis putridis adopertus papulis, nec ſiniſtri quid octava lux invexerit, neque die undecimo pituita parcius reddita & reſtricte tenacior gulam obſtrinxerit; neque febris extincta, ex iis, quæ putruerunt renata labefactatum vitale robur proſternat, jam amica ſanitas eſt in propinquo: jam peſtifera *Variolarum* principia ex penitis mollibus & liquidis omnino evulſa in firmiora muſculorum clauſa ſeceſſerunt: Ubi rodunt, irritant, cuticulam elevant, humores influentes corrumpunt; qui mora, nativa tenacitate, calore, luce, aëre coguntur ut guttulæ, denſantur, & exareſcunt. Interibi motiones vitales & animales humorum & viſcerum incommode percitæ ad pauſas & impulſus ordine parili retractandos redeunt, acerbitates miteſcunt, inſomniæ blanda & ſoporifera ſuccedit quies. Inde ſubſidunt quæ intumuerant, & cruſtæ aridæ quintodecimo die vel poſt non multo decidunt. Scabricies, ulcerumve ſalebræ, ſi quæ reſtitant, non longo dehinc tempore interpoſito complanantur.

B 2 V. Hoc

* CIC. Lib. II. de Nat. Deor. c. 58. *Vocis genera permulta; canorum, fuſcum: leve, aſperum: grave, acutum; flexibile, durum.*

V. Hoc ritu *Variolæ* procedentes rariſſime interimunt, vix aliquem in extrema pericula inducunt, & quamvis denſa papularum agmina roſeam polituræ ſpeciem depaverint, honorem nativæ pulchritudinis neutiquam depeculantur. Quoties enim contagio *Variolarum* a fine trahens titulum vocatur benigna, ſive minus nocitura ex ſe in terras depluat, ſive mitior e terris exſurgens animata corpora leviter tangat, minusque peſtilitatis invehat, ſive ingeneratam humano ſanguini, ſine ulla exceptione, corruptelam ſtimuli extrinſecus adacti ſedatius circumagendo, *Variolarum* principia cum papulis ad exitum placide perducant, ſatis bene proſpicitur cavendo, ne quid impedimento ſit interioribus viſcerum & calentis ſanguinis conatibus concorditer concitis ad peſtem radicitus extirpandam, & foras extrudendam: quippe cætera moleſta cum matureſcentibus puſtulis, brevi deſinunt divexare. At vero ſi largior undelibet ſanguinis ejectus acciderit; ſi poſt nigreſcant cacumina puſtularum dum prodeunt; ſi purpureæ liventesque maculæ interjectæ appareant; ſi profluvium ſalivæ intempeſtive ſupprimitur, ſi turgida præpropere ſubſidant, vel interſeptum ad pulmones, aut ad ſtomachum iter, ſimulque marcidi febriculoſi æſtus in interioribus a retrocito multo pure gravatis enecent; profecto ſi quid tale contigerit, morbum difficilem, exitum ancipitem, ultima metuenda convenit prævidere.

VI. Attamen de *Variolis* nec adfuturis cogitatione ante proſpiciendis, nec de inſtantibus arte avertendis, nec de commotis intus ad moderata conamina medicamento revinciendis, neque de prodeuntibus ad integumenta, vel exſtantibus de ſuperficie percurandis mentio ulla occurrit relata in memorias poſteritati traditas a priſcis Medicinæ ſcriptoribus, alioquin nobiliſſimis tum græcorum, tum latinorum. Qui permulta quanquam & varia genera * puſtularum, & papulas, & ſcabiem, & impetiginem, & vitiliginem, & ulcera multimodis

* HIPPOCRAT. Sect. III. aphor. XX. *Vere impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores &c.* Hippocrates natus creditur in Inſula Coo anno primo octuageſimæ Olympiadis: videlicet poſt conditam Romam CCXCVI.

CELS. Lib. V. Cap. XXVIII. Artic. 15. *At puſtulæ maxime vernis temporibus oriuntur; earum plura genera ſunt.* Vid. ibid. art. 16. 17. 18. 19.

modis in corpore humano interdum ſponte gigni, contrectatione interdum ex uno in alterum propagari adverterint; imo etiam obſervando & meditando animo deprehenderint, infinita ſemina malorum cum immiſſo aëre crebrius in animantes intrudi: Cumque de ſingulis circumſcripte docuerint apte ad cognitionem & providentiam, ſimulque appoſite ad ſanationem diſputantes, nihil tamen *Variolis* prorſus aſſimilandum ſe obſervaſſe unquam litteris prodiderunt. Niſi forte ſcripta illiusmodi ferrum, ignis, aquæ, vel ruinæ peſſundederint, ſeu tenebris circumfuſa tineas inertes paſcant, ſive, quantumvis incorrupta, diligentius jampridem præcluſa etiamdum eripiantur oculatis ultimæ antiquitatis inveſtigatoribus occultata. Cæteroquin & græci & latini auctores vetuſti eximia potiſſimum diligentia commendati, quorum lucubrationes impigræ ad laborioſam ſedulitatem luculenter oſtendunt, quam aſſidui exſtiterint in contemplando, quam perſpicaces in conjiciendo, quam ſapientes in judicando, & quam prudentes in agendo; numne ſanandi ſcientia, & artibus glorioſi illi ad *Variolas* in propatulo debacchantes incurioſius reſpexiſſent & conſumendi otii cauſa? vel non potius certatim acuiſſent ingenia, ut rationes invenirent certas & idoneas ad rabidam peſtem coërcendam, calamitates univerſis atrociter minitantem, aſpectu horridam, toleratu aſperam, funeribus crebris, atque pulcherrimis humanarum formis inſigniter deformatis exſecrabilem?

VII. Hinc magis proxime ad veritatem accedit opinari, peſtiferam contagionem *Variolarum* eſſe unam ex iis, quæ, niſi actuoſior ad nocendum facultas aſtiterit, conciveritque, æternum ignotæ obſcuriſſimis conceptaculis inſiderent, ſive ab ipſis corporum viribus domitæ, ſive a plurima virtute ſalubri per immenſum diffuſa obrutæ, ſive inertis materiæ particulis innumerabilibus implicatæ. Sed volventibus annis, præter ea, quæ ſolis flamma & ſidera rotant, quæ plumbeus humens Auſter, Boreasque ſiccus invehunt; quæ pluviæ & æſtus, turbines & procellæ conciunt ad peſtilentias evocandas, exacerbandas, augendas, efficiendas quoque apta, quam frequenter alia multa exſiliunt in clades, morbos, mortesque congruentia, qualia ſubſidentibus terris apertæ voragines eructant, vel inundanti-

bus

bus aquis, ab humido calore ſoluta putrefactaque corpora exhalant! Imo particulæ inſalubres quando nam non demigrant de tellure tum diffiſſa, tum liquata & ſimplices & multiformes? Quæ a primo egreſſu confuſæ inter ſe parumper cunctantur juxta hiſcentes venas, cœcaque ſpiramenta, contentione ſcilicet ponderum, & variantibus figuris, diverſaque mole retardatæ: Sed ab efflantibus interceptæ ventis, quando turbide procelloſi conſpirant, nulla gravitatis nec levitatis gradatio ab aſſultibus imis ad elevationem ſervatur, & incondite ſurſum, deorſum, transverſe, decuſſatim jactantur, vel aſſidua rotatæ vertigine contorquentur. Ita primo diluculo qui * quærunt aquas, mento in terra collocato procumbentes, ut certa finitione ad libratam altitudinem directis, nec errantibus oculorum viſibus notent & deſignent ad fodiendos puteos loca idonea, & affluentes uberiores aquæ in foveas poſtmodo excavatas excurrant, non ſolum vapores nebuloſos, humoris aquoſi ſubterlabentis aſpirationes, aſſilire cernunt ad aëra, ſed exhalationes una terreſtres multicolores radere ſolum cohærentia glareoſa, pulverea, pingui, vel cœnoſa minus arcte compactum conſpicantur. Quas rubentes identidem lambere ſubjecta videmus, & poſthinc diſperſas a ventis partim in montanos ſinuoſos flexus compulſas cogi; partim in ſublime rapi, & cum veſpertinis nebulis aut matutinis roribus & pruinis cadere; partim a nubibus involvi, regionibusque ſubmiſſis cum pluviis & nivibus, cum igne fulmineo, vel gelata cum grandinoſa congerie vaſte refundi.

VIII. Peſtifera igitur innumera, quæ in noſtras ſedes ex receſſibus terrarum ſe efferunt, vel in pronum cadentes aëres, nubesque ſolutæ emittunt, ubi collecta ſociavere vires, ex ſe peſtilentiam poſſunt gignere, nedum torpidam excire, aut conquieſcentem denuo irritare,

* PALLAD. Rutii. Tauri Aemiliani Viri Illuſtris de Re Ruſtica Lib. IX. menſ. Auguſt. Tit. VIII. de Aqua invenienda. *Ante ortum ſolis iis locis, quibus aqua quærenda eſt, æqualiter pronus mento ad ſolum depreſſo jacens in terra ſpectabis orientem, & in quo loco criſpum ſubtili nebula aërem ſurgere videbis, & velut rorem ſpargere ſigno aliquo vicinæ ſtirpis, aut arboris prænotabis. Nam conſtat, ſiccis locis, ubi hoc fiet, aquam latere.* Litterati viri putant Palladium ſcripſiſſe poſt Apulejum, qui fuit temporibus Antoninor.

PLIN. Hiſt. Nat. Lib. XXXI. Sect. 27. p. 554. HARDUIN. *Aquarum ſunt notæ juncus, aut arando, aut tuſſilago, multumque alicui loco pectore incubans rana.* Vid. VITRVVII Lib. VIII. cap. 1. de aquæ inventionibus.

irritare, atque virulentas propagines per corruptum cæli tractum longiſſime protendere. Præſertim ubi Aquilonibus excluſis, Euri admiſſi vi locorum coëuntium in lentos gyros flectuntur, & relabentes eodem, perfracti demum & reſoluti marcent: Ubi uliginoſi neglecto cultu agri, multoque veneniferis feraciores herbis infames ſuccos ingerunt carpentibus, & depaſcentibus: Ubi a radicibus venenatis quæ pullulant, ſint illa in herba, vel ſe in florem induant, non mellifferas apes alunt, non agnellum allectant, non hoedillum; ſed veſpas, crabrones*, cantharidesque roborant, ** pityocampas animant ad crimina, atque bupreſtes. Ecquis porro non intelligit, luem facile contagioſam ſolere indidem emergere, ubi, ratione comprehendit, cum paſtu & anhelitu, quæ ſint morbo mortique in venas & arterias indi, hominem & beluam a nocentibus ultro ad malum admigrantibus, & neceſſitate ineluctabili continenter admittendis circumſiſti? Quamobrem, ſi non procul a multitudine florentis oppidi, aut in vicinia urbis hominum frequentia celebratæ ſilva obſideatur colubris, effoſſi ſcrobes ſcateant ſerpentibus; paluſtres aquæ ſtantes luxurient vermibus, beſtiolisque minutulis nidulantibus ac obverſantibus natrices alliciant & chælidros: Si tetra ſanie buffo tumens & incubatu & flatu quæſitas radices plantarum, bulbos, boletos, herbulas, floſculos, aurasque circum venenet: Inſuper ſi portentis famoſa rubeta inter alia monſtra & ranas, quibus populus veſcitur, paſſim exſultet? an non ſolemniter ibi *** *ratio cum orco habetur?* Imo quam contraria ſaluti, quam internecioni propria exhalant limoſi lacus, cloacæ, carceres nullo ſolari colluſtrati radio, ſepulchrales tumuli minus pedes quinque foſſi, & ergaſtula? Quæ teterrima diſpertiuntur appropinquantibus a metallis, & avernis? Non ne argentifodinæ, lautumiæ, profundæ **** ſpecus tabificam expirant animam, ſubitosque tremores

* CIC. Famil. Lib. IX. Ep. 21. *Fur magnus ex Sicilia Cajus, accuſante L. Craſſo, cantharides ſumpſiſſe dicitur.*

** Apud Jureconſ. tit. ad Leg. Corneliam: *Si cui temere pigmentarii dederint pityocampas, aut bupreſtes, quæ ambo venenata ſunt, teneri pœna legis Corneliæ de ſicariis & veneficis.*

*** M. TERENT. Varro Ciceroni amicus & Jul. Cæſari familiaris de R. R. Lib. I. Cap. V. *Ubi ratio cum orco habetur, ibi non modo fructus eſt incertus, ſed etiam colentium vita.*

**** P. VARRO de R. R. Lib. I. Cap. LXVI. *Sub terra qui habent frumentum in iis, quos vocant ſiros, quo cum periculo introitur recenti apertione, ita ut quibusdam ſit interclusa anima, aliquanto poſt promere, quam aperuerint, oportet.*

res & dentium crepitus adeuntibus ; pallores , ſubitas defectiones, necesque miſcent commorantibus ? Unde celerius eripi eſt idem ac a mortis limine reſtitui. Sane quam moleſtum naribus acorem fundit ulva ſpiſſior e fluviis vel paludibus projecta ? Quid ſulphurata, quid aluminoſa occurrentia * puteariis ? Alga ſola e profundo divulſa, quam ruens ab occidente hiberno Africus ad oppoſitas oras maritimas congregavit, remigesque brachia remittentes a litore prohibentur, non ne fœtido nidore dimiſſo exadverſum ei loco captantes auram ſtrangulat ? Verum nec duntaxat a proxime adſitis inſalubria, damnoſa, & mortifera ſolent attrahi , ſed a diſſitis longinquis ultimis latibulis inviſæ prius peſtis ſemina poſſunt in gentes a conſortione remotiſſimas comportari. Fortaſſis ita *Variolas* , mercedem avaritiæ retulit audacia currendi per omne mare , lignoque fragili intentata ſulcandi æquora, ſubductas Mauris, Perſis, vel Indis , regionibusque a noſtris diſſociabili Oceano abſciſſis.

IX. Hæ fere ſunt cauſæ , propter quarum efficientiam, & novæ morborum exoletorum propagationes ſuccreſcunt , & inſuetæ peſtes a circumjectis & circumverſantibus conflatæ in contagionem coaleſcunt ubi ſalubria vincuntur ab inſalubribus , & meliora cedunt pejoribus. Quando enim aëres, fontes, fluvii, lacus, pabula, & ſegetes contrarias animalium conſervationi particulas uberius excipiunt, exinde ſpiritus, eſca, potio nullius valitudinem non tentant : ſed levibus motiunculis perturbatur aliquis , vehementius alius affligitur. Videlicet prout ægrotationum principia & errata valent ad incrementum , ſive a viribus corporis & a remediis oppoſitis reprimuntur. Sed, propter *Variolas*, valentioribus cibis alti, laboribus durati, & annis , lacertis & viribus robuſti graviora pericula obeunt, quia fortius reſiſtunt papulis tranſigentibus membranaceas circumtexturas, quam puerilia vel fœminea, mollia vel tenera involucra, in quibus trajiciendis

* PALLAD. Lib. IX. Menſ. Auguſt. Tit. IX. *In fodiendis puteis cavendum eſt foſſorum periculum , quoniam plerumque terra ſulphur , alumen , bitumen educit. Quorum ſpiritus miſti anhelitum peſtis exhalant, & occupatis ſtatim naribus extorquent animas, niſi quis fugæ ſibi velocitate ſuccurrat. Prius ergo quam deſcendatur ad intima , in eis locis lucernam ponis accenſam , quæ ſi extincta non fuerit , periculum non timetur. Si vero extinguetur , cavendus eſt locus , quem ſpiritus mortifer occupabit.*

dis renixus levior exitum promovet, & expulſionem circumvolutæ peſtis accelerat. Inde puelli teneri, dulcesque puellæ, vix pubeſcentes & impuberes, adoleſcentuli delicati & imberbes facilius ferunt *Variolas*, & paulo poſt delapſas ulcerum cruſtulas, in pene deletis * veſtigiis ubi papulæ inſtiterint, vix contuemur. Imo etiamſi annis junior quispiam convulſionibus, inſtar illorum infelicium quos morbus agitat comitialis, torqueatur, minus terret virum Medicum, qui propterea prævidet, papulas & majuſculas, & ſeparatim exſurgentes ad eruptionem feſtinare. Cavet interim maxime, ne furioſius & conjunctim ſumma petant, & ſimul curat, ne in progreſſu, obice præpeditæ ceſſent, vel retrocitæ alternos vitales impetus admittendi & provehendi ſanguinem, alicubi turbulenter laceſſant. Proinde ſerio ægrum admonens; ut ** conſuetiſſima cuique curationi puſtularum præcepta ſalutaria ſervet, *Variolis* tardantibus prudenter adjicit calcaria, violentis adhibet fræna, & Medicamentorum auxilia in horas, in dies attente diſponit, ſemper decumbenti aut debili, aut firmo, exinanito, vel repleto, vigili, ſeu dormitanti accommodatiſſima. Nec ſegniter ſiſcitando de circumjectis, in annuas varietates calorum & frigorum, ſollicite inquirit, atque curioſius oculos, aures, mentem advertit in dignoſcendo contagionis populariter inter plurimos communicatæ ſævitiam. Nimirum, ut diligentia & artificiis medicis arceantur, minuantur, vel reprimantur minima, quæ fugiunt aciem, multimodis tamen cum aëre, odoribus, halitibus, exhalationibus immiſſa in animantes ægros, cohærentiam, poſitum, diſpoſituram, directionem ad convaleſcendum tam in partibus teneris & liquidis, quam in ſolidis & duris nimis crebro diſtrahunt, atque diſturbant.

 X. Cer-

* THOM. SYDHENAM Oper. Medic. Tom. I. Sect. III. cap. 2. artic. 1. in fine. *Quamvis raro admodum Variolæ interſtinctæ ulla ſui linquant veſtigia; atque illæ ferme ſolæ, quæ ſex poſtremis annis menſibus invaſere.*

** CELS. Libr. V. Cap. XXVIII. art. 15. *In omni puſtularum curatione primum eſt multum ambulare, atque exerceri: ſiquid iſta prohibet, geſtari.*

Certe nec ægrotantibus propter *Variolas* primo commotas, bene conſulitur, ſi ſtragulis obruti lecto teneri jubeantur in clauſo æſtuante cubiculo.

Secundum eſt cibum minuere: abſtinere ab omnibus acribus, & extenuantibus. Eademque nutrices facere oportet, ſi lactens puer ita affectus eſt.

Pretioſiſſima hercule Medicinæ veterum documenta, Cedro digna & immortalitate.

X. Certe quidem, ſi uſpiam, in inconſtantia & mutabilitate corporis humani vegeti vel ægroti, ſanneſcentis facile, vel ab exili tanquam a valido ictu aut morbida motiuncula, ſeu vulnuſculo occidentis, magnopere illud ipſum refert, cui quæque adiaceat res. Etenim virus * vipereum inviolatis exceptum faucibus innocue ad ſtomachum defertur, perque inteſtina citra maleficium gliſcendo nullibi criminoſum, neutiquam ſuſpicioſum, denique præceps, ut rejectaneum a corpore digreditur. Sed in vivo conceptaculo fumanti ſi admiſceatur ſanguini, an non expergita veneni efficacitas, niſi promptiſſime fuerit ſubventum, & ſenſus & motus perimit? animali vitam adimit? Ecquid animantibus utilius aëre, ſine cujus aſſiduo interventu nihil viget? ſiphunculo tamen in apertam venam ** intruſus valentiſſimum animal ſtatim occidit. An non ipſæ odorum ſuavitates in talia ſæpiſſime incidunt, quorum conjunctionibus, vehementius percellunt, & ſenſus ac mentem extemplo conturbant? Inde quoties male affectis curatio adhibenda eſt, perturbationes coortæ & oriundæ neceſſaria eventorum conſequentia nequeunt ſedari, nec immoderati impetus comprimi, neque tarditates accelerari, niſi a fluidis firma, & a noxiis utilia internoſcantur; imo niſi quodammodo ſuboleat cogitanti, quali magnitudine, qua ſoliditate, cujusmodi figuris, quantis ponderibus, & quam validis urgendi, nitendi, ac reluctandi momentis certetur utrinque. Inde porro nec aliunde Phyſici ſagaciores ordiuntur initia mutationum, converſionum, atque viciſſitudinum, quæ rerum omnium & facies & proprietates & facultates efficiunt diſſimiles. Inde petunt ſcire, cur & quomodo ſpiritus vini blandus olfactui diffugiens in auras, arte collectus tactuve frigidus, ſi cum algido chalchanti oleo confunditur, protinus in commune, ardore bulliente deflagrant? Cur calx recens ab affuſa frigida illico æſtuat & ferveſcit? Ita pulvis ater ex carbonibus extinctis una cum nitro & ſulphure contritis compoſitus, niſi quis conflet, quis verrat, quis ſpargat, nec aliud quicquam dimovens incurrat, in concluſo ſpatio immobilis perpetuo jacet vel acervatim aggeſtus. At vero ad contactum admota ſcintillula, quam tremendis furoribus ignis & aëris immenſæ vires velocitate prævalere decertant! Quam valido con-

cuſſu

* FRANCISC. REDI Oſſervazioni intorno alle Vipere.

** FRANCISC. REDI Tom. V. part. II. lettere. Al Sign. Nicolo Stenone.

cuſſu ſolum intremit! Quam horriſono fragore circumpoſita diſſiliunt usque adeo dum firmiſſimæ moles cadant flammante convulſæ turbine præcipitique ruina! Quod ſi plurima comburenda intercurrunt, quam ſubito incendio ignifero correpta vortice late cuncta conflagrant! Nimirum quia ſtatim ac denſo agmine convolant, & contente conſpirant quæ

"*Ut lapidem ferro cum cædimus, evolat ignis*,, LVCRET. Lib. VI. v. 313.

particulas igneas rigidis, aquoſis, aëriis, inertibus implicitas expediant, & ubique * latentes in apertum eliciant, ſive diſſitas per varias res in unum contrahant, aliisque flammas avide ſuſcipientibus concopulent, exinde incendia, ruinæ vaſtitas erunt conſectaria.

XI. Similiter cætera, quæ ſoluta fluunt, varieque volant; motu, magnitudine, figura, & pondere dubias poteſtates exercent ubi particulæ contrariæ nituntur in omnes introitus, qua viſcera humana poſſunt adiri, viribus adverſis ad mutationem valetudinis in melius, vel in deterius luctantes. Inde vitam & robur alicubi recreant, alibi vitiant, alibi perdunt: prout apte & valenter, aut caſu, aut vi adigente, aut ſelectione voluntaria, cum ad ſalutem, tum ad perniciem conciliatu diſſimili glomerantur. Sic *Variolas*, vel cauſas, quibus *Variolarum* ſemina fermenteſcunt, regione tota errantes vitare omnino nequeunt conferti hominum cœtus; niſi fugitando fugiant a ſpatio, quod peſtifera contagione circumſcribitur. Commorantes nihilominus multos *Variolæ* quotannis excitæ prætereunt; a ſemel tactis alias, fere ſemper abſtinent; plurimos tam leviter attingunt, ut de venuſtis & delicatis vix videantur delibaſſe quidquam. Quod ſi tractabiles ad interiora purganda *Variolæ* ſe erigunt, quot foliis, quot floribus adoleſcente vere variat humus, totidem papulis nonnulla conveſtiuntur. Et herbidum velut pratum, cum radioſo ſeptemplici coloratur lumine, hic viret, ibi paulatim flaveſcit, mox aureolum, tum rubens, glaucum

 item

* M. MANIL. Mathematicus & pacta Romæ temporibus Auguſti. Aſtronomic. Lib. I. ℣. 850. & ſeq.

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes;
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes;
Et penetrant terras, Aetnamque minantur Olympo;
Et calidas reddunt ipſis in fontibus undas;
Ac ſilice in dura, viridique in cortice ſedem
Inveniunt, cum ſilva ſibi colliſa crematur.
Ignibus usque adeo natura eſt omnis abundans.

SCALIGER in præfatione ad Manilium dicit illum Ovidio ſuavitate parem, majeſtate ſuperiorem: ingenioſiſſimum, nitidiſſimum, luculento ſermone &c.

item & cæruleum, ſubinde quoque purpuraſcit: ſic humana facies *Variolarum* aculeis transfixa ad ſplendidam diei converſa lucem, nativam ſpeciem in omnia colorum miracula transformat. Liquidum velut plumbum ab igne * retractum variis, fugacibus, vix notandis coloribus tingitur, ſic puſtulis facies conſita iterum ac ſæpius mobili & caduca tinctura mutatur; ſeu diverſa ordine certo emergant, quæ viſionis inſtrumenta diſſimiliter pulſent, ſeu objectas oculis & ſpecies & formas lux feriens in ſuperficie ſaltem ſubvertat. Sed mente memori obſignatum habere convenit, ** octavo die poſt perceptas primas *Variolarum* inſidias abſconditas, quarto ab inchoata papularum expulſione, intervalla circum, alba quæ permanſerant, ardente vivido conſueſſe pingi purpuriſſo, quandocunque res eſt in tuto; *Variolis* nempe mediocriter agitatis, peſtifera ſanie prorſus excluſa, puſtulis octiduo emerſis, turgidis, maturatis, aridis, & brevi poſtea decidentibus. Nec officit optimis auſpiciis, palpebras tunc & buccas, deinde manus intumeſcere. Siquidem triduo poſt, diſtenta ſenſim ſe remittunt, turgida reſidunt, & acerbitates miteſcunt. Contra ſi luridus inter puſtulas perſideat pallor, ſi livores, ſuggillationes, nigror excitentur: ſi tumida derepente concidant depreſſa, funeſtiorem diem inſtare jam plane ominantur.

XII. Ita quoque notabiles, atque etiam ominoſæ ſunt *Variolæ*, quæ papulas quam denſiſſime calcatas ad integumenta capitis transmittunt. Nam ſi abundantius conveniunt peſtilentes particulæ, & præcordia ſuppeditent materiem aſſimilandam cum ſanguine calidiſſimo, qui fermentare, poſſit putrefacta;

„*Ceu tumet, atque imo ſuo gurgite concipit Auſtros*
„*Unda ſilens*„ VALER. FLACC. Argum. Lib. V. ℣. 523.

ita

* Experiment. & conſiderat. de coloribus a Roberto Boyle Nobili Anglo ſcript. Part. I. Cap. III. artic. 4. *Cepimus bonam quantitatem plumbi mundi, eamque intenſo igni fudimus &c. Iidem colores in plumbo frigido aëri expoſito non ſemper, nec regulariter ſibi invicem ſuccedebant, ſed ordine hoc anomalo in ſubjecta* Nota *conſignato. Cæruleus, flavus, purpureus, cæruleus; viridis, purpureus, cæruleus, flavus, rubicundus; Purpureus, cæruleus, flavus & cæruleus; flavus, cæruleus, purpureus, viridis mixtus, flavus, ruber, cæruleus, viridis, flavus, ruber, purpureus, viridis.*

** THOM. SYDHENAM Sect. III. Cap. II. artic. 1. *Circiter octavum a primo inſultu diem (quam in hoc morbo epocham ubique ſervo) intervalla, quæ prius ſubalbebant, pro puſtularum, quibus obſidentur, numero, rubere jam incipiunt, atque in molem attolli, non ſine partium dictarum dolore tenſivo, & lancinante.*

ita peſtem imbibunt prius inquinata viſcera, quam rivi ſanguinei ad ultimas extremitates ductuum puſtuloſam ſegetem volvant, & exterminatam e communitate humorum ſalubrium calor febriculoſus, naturali efficacior extrudat. Sed æſtibus amplis acrimonia puris dum carpitur, & quæ pectus, quæ gula, quæ calvaria protegit mollia vehementius flagellat, toto illo quatriduo curator providus ſollicitatur: Videlicet ne cerebrum deſtruat, neu oculos, neu tonſillas exulceret, neu pulmo ſaucius, vulnere immedicabili, egreſſum vitæ cum cruore celerem pandat. Verum enim, ut alii morbi contagioſi & peſtiferi non ſemper iisdem ſpirant venenis, *Variolas* item ſummis infimis & privatis diſpergi coram intuemur, ſed ex diſparili aſpiratione contagii diſpariliter ad nocendum habere momenta experimur. Triennium interdum & quadriennium, diutius etiam inviſæ latent & quieſcunt. Interdum valetudinem leviter perturbant, in paucas puſtulas deſinunt, fugaces quasdam afferunt moleſtias, vix maculant. Hinc ad curationes appoſite ad ſanandum adhibendas infectis contagio *Variolarum*, apprime quadrat perquiſitius, & diligentius annotare quæ generaliter ea tempeſtate in iis contingunt locis: deinde attente obſervare quam gravia puſtularum eruptionem ſingulatim præcedunt: ſed maxime quanta velocitate aucti viſcerum & humorum impetus ſecretionem & expulſionem purulentæ peſtis adjuvent. Inde inter obſcura ægrotandi primordia & ambiguas obtuſæ anxietatis perceptiones, quia edacitas morbum ſemper alit, abſtinentia extenuat, & facilius convaleſcit qui parcius ventrem paverit, nullus primo die, vel perexilis apponatur paſtus; potio aquoſa ſubacida ſitienti affatim ſatisfaciat: Mel, acetum, nitrum: & ex moris, granatis, ceraſis, herbulis expreſſi ſucci aciduli, arte parati ſimpliciſſima, fauces viciſſim humectent, viciſſim refrigerent, viciſſim abſtergeant. Febris æſtus ſuadent quidem auras frigidulas vitare, præſertim infra æquinoctium autumnale usque ad ſolſtitium hibernum ſpirantes, ne calentis corporis operimenta infelici flatu * ventilent: Ratio autem

dictat,

* SANCTOR. SANCTOR. Sect. 2. de aëre & aquis aphor. 20. *Ventilabrum prohibet perſpirationem, reddit caput ponderoſius & calidius.* Deinde aphor. 41: *Ab Aequinoctio Autumnali ad Solſtitium Hyemale qualibet die minus libram circiter perſpiramus: inde usque ad Aequinoctium Vernale incipimus liberius perſpirare. Hic calculus valde notabilis*

dictat, recentis aëris flamina utiliter in conclave clauſum introferri, ut * corrupti halitus a ſubeuntibus ſinceris flatibus depellantur: ac perinde damnoſum reipſa eſſe, refrigeria ejusmodi naturæ flagitanti denegare, ſpiritumque purum ab arentibus pituitaque olida inviſcatis faucibus avertere. Præterquam quod veſanum, nedum ſuperſtitioſum foret in æſtivis fervoribus cæli ſereni ſpirabile lumen formidare. Quin imo toro corpus ægrum reponere, aptisque pulvinaribus cervices fulcire, vel ſtratis ſtragulis tegere tunc fovet & recreat, cum puſtulæ cutim exaſperantes, inedia & febri debilitatæ vires ejusmodi ſubſidia impenſius requirunt. Alioquin per prata & agros, non ne bonus agricola bonusque colonus ſæpius vident ludibundos filios percurrere *Variolis* implicitos? Non ne viliſſima reſidis ignaviæ mancipia, ſervum pecus, mancipatam prolem ſquallentem adhuc papulis ad culinarum nidores amicos obtorto collo trahunt, ne fuſtiarium mereant, ſi jugum ſervile dejicere tentaſſe videantur? Quotnam de immunda & vili plebe plateas errabundi pervagantur, artusque informes, *Variolas*que arroganter trucibus oculis circumferunt? Imo ruſticanos, & montanos populos, quorum valetudinem parſimonia & mitiores aëres temperant, nulla fere ſolicitudine afficiunt *Variolæ*, quæ liquidos humores leniter commovent, viſceribus pedetentim obrepunt, & extricata puſtularum principia laxas conglutinationes ac texturas incuſſu levi penetrant. Multum quippe officit, ſi disjungendo puri a ſanguine humorum tenacitas intervenerit, ſi membranarum denſitas erumpentes papulas impediverit; maximum incitamentum cruciatuum & periculorum utrumque. Siquidem peſtilentes particulas & fomitem *Variolarum* diligenter, non per vim, nec per furores, nec turbulente ab humoribus ac interaneis divellere, atque procul a præ-

bilis eſt ſubjungit MARTINVS LISTER in commentariis, ſapienter quidem & cordate. SANCTOR. SANCTORIVS Juſtinopoli generoſis ortus parentibus, celeberrimus Medicinæ Profeſſor Patavii de Statica medicina ſeptem ſection. Aphoriſm. opuſculum 30. annorum edidit an. 1634. Utiliſſimus de re medica libellus.

* VITRVV. Lib. I. Cap. IV. *Calor excoquens aëris firmitatem naturalem diſſolvit, ejusque facultates fervore molleſcentes efficit imbecillas. Hinc aër concluſus in anguſto ſpatio, ſolo unius animalis halitu brevi corrumpitur & ineptus eſt reſpirationi.* M. VITRVVIUS Pollio architectonicæ artis peritiſſimus, de qua libros decem ad Auguſtum Imperatorum ætate provectior ſcripſit. Stilus plebejus fere eſt. Solus tamen ſcriptor latinus de Architectura.

præcipuis vitæ domiciliis amandare, tam ad corpus puriter * purgandum, quam ad perfectam proſperam ſanationem plurimum valent.

XIII. *Variolæ* igitur, quarum ſemina peſtifera febris exiguis conatibus cum disjunctis papulis expulerit, vix medica induſtria indigent præter abſtinentiam a carnibus, pinguibus, & cibis valentioribus, præſertim ſi reſpiratio commoda, & vox naturalis de pulmonum & aſperæ arteriæ integritate, deque inviolatis faucibus ac tonſillis luculenter ſatis indicarint. Conſurgentes enim puſtulæ quatriduum creſcunt ac turgent: mox certum adeptæ incrementi & magnitudinis modum, circumjecta quidem cutis intervalla parumper diſtendunt, quæ ſuccenſis velut ſubter igniculis ardent, & rubicunda tument. Alia vero incommoda, & cæteræ moleſtiæ tolerabilius multo deinceps urgent. Imo ſi tenui, acidulo, liquido alimonio humores dilutos, laxatas compages, ac propterea ægrotantis robur extenuatum paulo plenior eſca, tantillum vini, aut lactis mulſi, aut aceti mulſi caliculus providenter accedat; idcirco motus cordis vivacior vitalia movendi momenta per totum corpus diſſita relevat. Quæ quidem cautio ſi fuerit in dies, in horas eventis & eventuris advigilans, ne conatus firmarum partium provehendi fluidas, quibus pulſus ſanguis ſanguinem præcurrentem a tergo ſine pauſa ſequitur, infirmiores uſpiam alſerint, uſpiam humorum progreſſioni defecerint, octavo die poſt primum exortum, puſtulæ a facie jam exſiccatæ decidunt, quæque brachia, crura & reliqua fœdant, diductæ purgatæque puris poſterius intra biduum divelluntur. Siquando unquam frequentes magis papulæ acervatim ex interioribus ad ſumma corporis faſtigia evadant, & conjunctim nullis relictis ſpatiis alicubi ſubſidant, ex annua contagione conjecturam capere oportet, ſi placida vel atrox in gentes ingruat,

* LAVRENT. BELLINI de Febribus. Tit. Febris Variolarum &c. *Variolæ, & morbilli ſunt rubicundæ, albæ, ſubflavæ, violaceæ, lividæ, nigræ puſtulæ, citius, tardius erumpentes, citius, tardius areſcentes: exteriores ſolum partes corporis, vel etiam interiores, & viſcera occupantes: ac denique vel depurativæ ex doctrina Avicennæ; in quibus partes ſolum excrementitiæ ſanguinis putreſcunt, & ad cutem, quaſi per criſim expelluntur; vel non depurativæ, ſeu corruptivæ, in quibus bonus etiam ſanguis putreſcit. Hæ mali, illæ boni ominis.*

LAVRENTIVS BELLINI Florentiæ natus die tertia Septembris an. 1643. diem obiit ſupremum 8. Januarii an. 1703.

ingruat, quæ cura generatim conveniat: ex ipſo loco ſignum ſumere, cum oculos vel genas ingravant, & cum teneras vel duras membranas pertundunt, quid ſingulatim utile adhibeatur. Sed inter omnia providendum vehementer, ne propter æſtum æqualis conjunctio humorum, qua ſanguinei rivi cohærent, & alii alios apprehendentes per univerſos ductus pari denſitate fluunt, exagitata perturbetur: Inde enim diſſolutæ particulæ fluidæ partim picis in morem ad involucra coactæ * lenteſcunt, partim plus juſto attenuatæ cum ſudore, halitu, & anhelitu avolant. Cavendum item ſumopere, ne propter frigus commota peſtilentiæ ſemina tum ſejungi, tum proferri prohibeantur, vel retortis impulſibus importune repreſſæ ad omnimodam corruptionem viſcerum devolvantur. Cæterum cutis ab elatioribus puſtulis diverſe tracta, & pure mature matureſcente pruriens dolensque a tepidis vaporibus lactis cum aquoſis permixtis, vel ab aceto & aqua calidis, ad fovendum intermiſſa ſpongia admotis, remiſſionem tenſionis obtinet, pruritum & dolorem monet adimi. Aqua item plantaginis igneo fervore ſtillata cum paululo plumbi ** ſale adjecto, efficit crebro illitu, ne palpebræ nimis turgeant, ne pupillas claudant. Uva tumente vel urentibus faucibus, ex aceto, aqua, & melle confuſis gargarizare promptum ſolatium pollicetur. Quod ſi contractis vel reſtrictis a diuturno inſolito cubatu fiſtuloſis ductibus, urinam inhiberi advertatur, inambulare parumper per cubiculum, vel ſi enervata genua id non ſuſtinent, amicorum brachiis fulciri, vel ſervili quacunque opera inniti, ſe ſeque in pedes excipere ad inceſſum, veſicam in ſimili caſu exonerant. Nam ſtatus ipſe recti corporis, & greſſus & concuſſus, quantumvis modici, titubantes artus Scipione ſuſtinentis, torporem nervis excutiunt, muſculos pigrantes ſtimulant, ac perinde ſic vibrantur renes ut lotium collectum dimittant. Quod præceps ab alto cum pondere & gravitate ultro deprimitur. In-

* LAVRENT. BELLINI de Febribus Propoſit. XXX. in fine. *Eſt igitur ſimiliter febris Variolarum vitium in qualitate ſanguinis, qua ſolvitur, & ſit partim lentior, partim liquidior.*

** MORGAGNI Epiſt. cit. artic. 33. *Cum reliqua cutis pene tota puſtulis Variolarum aſpera eſſet ac foeda, in palpebris tamen lævis, ut videbam, ſervabatur, ac nitida: Fiebat autem aqua ſtillatitia plantaginis, in qua ſalis, ut vocant Saturni, pauxillum erat ſolutum. Id Collirium illinebant oculis ægrotantium a Variolis in Noſocomio.*

Interea ſi perdiu fortaſſis contumax, nec reſpondens neceſſitatibus alvus; purgamentorum facta ſtrue inquietat, lotionibus * aquoſis vel herbidis vel hordeaceis, utique temperate tepentibus ducenda eſt. Cujus tamen artificii medici ne magnum ſtudium frequenter nimis admoneat; conſultius enim proſpicit ægro potiones & ſorbitiones aſſumendas offerre, quæ convenienter aut ingraveſcenti aut decedenti moleſtiæ vitales motus alant una & ventrem molliant, quam crebrius inferne purgantem medicinam ingerendo conſuetum inteſtinis rejectanea detinendi tenorem pervertere. Inſuper "*Alvus ſi vehementius fluit, aut ſæpius ducitur hominem infirmat*," CELS. lib. II. cap. XII. Cum autem infirme vitam trahunt animata, pluribus de cauſis maturius fraceſcunt. Quare illa perpetuum ſervare oportet, ne ſuppreſſa ducatur alvus in abſtinentia exhauſto, neve in eo qui paulo ante purgatus eſt, neve in ipſo febriculoſæ acceſſionis impetu. Inde quoniam ex primo quatriduo debent æſtimari quæ cum exituris papulis expectantur, & quatriduo altero non niſi vegeti & alacres vitales conatus queunt luem purulente inſidioſam radicitus evulſam ad extima involucra trudere, puſtulasve natas funditus ex conſortione viſcerum aut carnoſæ vitalitatis extirpare; idcirco ſola victus ratio a Medici judicio definita tuto extenuat & digerit quæ abundantia nocent; atque largæ potationes cum modicis eſcis ex acidulis aquaticis compoſitionibus humores glutinoſos disjungunt, ſalſos diluunt, ſpiſſos liquant. Neque velocitatem fluendi & refluendi morantur, quia fervores & impetus ubi aqua dominans temperat, gliſcentes inſulſos rivos auget, ductusque ubertim rigans lubricat. Deinde quietum ſuo tempore tectumque corpus ut vapore caldo madens tepeat, minima usque membranarum foramina laxat, quæ puſtularum ſemina commode ſubeunt: mox putres particulæ partim tanta vi exſiliunt, ut transvolent, partim cum ſudore ſub operimenta dimanant; partim forte cum ſaliva, vel urinæ permixtæ aliisve fæculentis dejectio-

* CELS. Lib. II. Cap. XII. artic. 2. *Immittenda in alvum eſt, ſi levi medicina contenti ſumus, pura aqua; ſi paulo valentiori mulſa; ſi leni, aqua, in qua fœnum græcum, vel ptiſana, vel malva decocta ſit; ſi reprimendi cauſa, ex verbenis. Acris autem eſt marina aqua, vel alia ſale adjecto: ac utraque decocta commodior eſt. Acrior fit adjecto vel oleo, vel nitro, vel melle quoque. Si acrior eſt, eo plus extrahit, ſed minus facile ſuſtinetur. Id quod infunditur neque frigidum eſſe oportet, neque calidum, ne alterutro modo lædat.*

nibus exeunt; partim denique hærent, coguntur, areſcunt. Inde aridas cruſtas lux, aër, & perennes in omni cavo corporis impetus alterne ſe adſtringendi & relaxandi decutiunt atque diſpergunt. Veruntamen etiamſi conſpectæ puſtulæ disjunctæ, faſtigatæ; interjecta cutis tumida, rubens; pytiſma, vel ſudor perſeverans; clara vox, & commoda perſpiratio; tum & febris de vehementia multum remittens dilucide oſtendant, *Variolas* egreſſum & finem optatum habituras, præſtat nihilominus ſeverius præcipere, quemadmodum ægroti, ſeu convaleſcentes ſe gerere debent, puelli maxime vel puellulæ, quique ex ephebis non exceſſerunt. Videlicet, ne prurientem cuticulam impatienter præſecent unguibus, ne cruſtas intolerantiſſimi velint ſcabere, neu juxta inediam protinus edacitatis puerilis improvida feſtinent ſatiare deſideria. Multi porro juvenculi ſub finem morbi arbitrio proprio relicti peſſima ingluvie ſtomachum & inteſtina diſtringunt, aut aliud quam expedit, aut nimium, ſive coctioni reluctantes potus & epulas ingerendo. Quibus de cauſis dominatu *Variolarum* liberati non niſi deſquamato corpore, ut ſerpens inter vepres & ſpinas relictis ſpoliis

„*Cum poſitis novus exuviis, nitidusque juventa*
„*Volvitur.*„ VIRGIL. Georg. Lib. III. ℣. 437.

ad priſtinas, vel famem ſedandi, vel epulandi conſuetudines revertantur: ſed gradatim poſita reſumant fercula, nec properent protervo debiles adhuc venas committere meraco. Quasdam vero ſollicti animi motiunculas erumpentibus puſtulis quæ ſuperveniunt, vel aſperas perceptiones a ſenſibus alienas, quæ in corpore arduis *Variolarum* apicibus indecenter hirto multimodis excitantur, ſucci Paparerei * ſuaviſſime demulcent, ſatis congruenter tranquillant. Poſt viſas

* PLIN. Hiſt. Nat. Lib. XX. Sect. LXXVI. Cap. XVIII. *E nigro papavere ſopor gignitur ſcapo inciso, ut Diagoras ſuadet, cum turgeſcit: ut Jollas cum defloreſcit hora ſereni diei: hoc eſt, cum ros in eo exaruerit. Incidi jubent ſub capite & calice. - - - Papaveris ſuccus largus denſatur, & in paſtillos tritus in umbra ſiccatur, non vi ſoporifera modo, verum ſi copioſior hauriatur, etiam mortifera per ſomnos: Opion vocant . . . Cum capita ipſa & folia decoquuntur, ſuccus Meconium vocatur, multum Opio ignavior. Experimentum Opii eſt primum in odore: ſincerum enim perpeti non eſt: mox in lucernis, ut pura luceat flamma, & ut extinctum demum oleat: quæ in fucato non eveniunt. Accenditur quoque difficilius & crebro extinguitur. Eſt ſinceri experimentum & in aqua, quo-*

viſas palam in admorſa facie accreſcentes icore inflatas veſiculas, Opii tantillum, paulo plus Meconii, Diacodion quoque unciatim, quotidie veſperi horum unum devoratum quodlibet : nimirum quando moleſtiæ recrudeſcunt, ejulatus gemituſque recrepant : mirum dictu, aſſiduoque digniſſimum memoratu, quam blande, quam tuto, quam efficaciter moeſtis ſuſpiriis, & querulis doloribus opituletur! Quod ſi Aegyptiorum * Sacerdotes genibus ſubmiſſis & ſublatis manibus Cæle-

quoniam in nubila innatat : fictum in puſtulas coit. Sed maxime mirum, æſtivo ſole deprehendi. Sincerum enim ſudat, & ſe diluit, donec ſucco recenti ſimile fiat. Mneſides optime ſervari putat hyoſciami ſemine adjecto : alii in faba.

Idem ibid. Sect. LXXIX. Cap. XIX. *Medicamentum, quod Diacodion, & Arteriace vocatur fit Papaveris Heraclion, aut cujuscunque Silveſtris capitibus CXX. in aquæ cæleſtis ſextariis tribus biduo maceratis, in eademque diſcoctis : deinde ſaccatis, iterumque cum melle decoctis ad dimidias partes vapore tenui. Addidere poſtea drachmas ſenas Croci, Hyppociſthidis, Thuris, Acaciæ, & Paſſi Cretici ſextarium. Hæc oſtentatione : ſimplex quidem & antiqua illa ſalubritas Papavere & melle conſtat.*

THOM. SYDENHAM Sect. III. Cap. II. *Propino ego ut plurimum vel Laudani liquidi guttas* 14. *aut circiter, vel Syr. de Meconio unc. j. in Aq. flor. Paralyſ. vel ſimili ſtillatitia ſolutam : Quæ ſi adultis poſt plenam Variolarum eruptionem ad morbi uſque finem ſingulis noctibus propinentur, non modo incommodi nihil, ſed & magnum inde emolumentum capient, quod frequenti experientia didici.*

THOM. SYDENHAM Sect. IV. Cap. II. *Laudanum liquidum, quod in quotidiano ut dictum, uſu mihi erat, hanc ad normam ſimpliciorem præparavi. Vini Hiſpanici* lb. j. *Opii unc.* jj. *Croci unc.* j. *pulv. Cinnamomi, & Caryophyllorum an. drach.* j. *Infundantur ſimul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat. Colatura ſervetur pro uſu. Hanc noſtram præparationem Laudano Officinarum ſolito anteferendam virtutibus quidem non cenſeo, ſed ob formam &c. Qui tamen experientia judice certaverit, & tam ſimplicem ſuccum a Natura oblatum, qui ejus præparata cum diligenti obſervatione in uſum frequenter revocaverit, nullum fere diſcrimen intercedere comperiet, & mirandos illos effectus, quos edit, nativæ ipſius plantæ bonitati atque excellentiæ, non vero artificis polydædali ſolertiæ deberi certo ſciet. Quinimo ita neceſſarium eſt in hominis periti manu organum, jam laudatum Medicamentum, ut ſine illo manca ſit, ac claudicet Medicina, qui vero eodem inſtructus fuerit, majora præſtabit, quam quis ab uno Remedio facile ſperaverit : Rudis enim ſit oportet, & parum compertam habeat hujus Medicamenti vim qui idem ſopori conciliando, demulcendis doloribus, & Diarrhææ ſiſtendæ applicare tantum novit, cum ad alia plurima, gladii inſtar Delphici accommodari poſſit, & præſtantiſſimum ſit Remedium Cardiacum unicum pene dixerim; quod in rerum natura hactenus ſit repertum.*

HERMAN. BOERHAVE de cognoſcend. & curand. morb. aphor. 1379. *Quia infantibus frequens, huc refertur morbus, qui vocatur Variolarum. Cujus quidem adeo accurata Sydenhami deſcriptio, ut decies legi merenti pauca modo addenda habeam, unde pateat & has ad eandem ſimplicitatem, ut præcedentes morbos, reduci poſſe, & aliquid in ordine medendi deſiderari hactenus.* Boerh. natus an. 1668. mort. 1738. Sydenham in epiſtola ad Guilielm. Cole "*jam appetente ſenecta*" ſcribere ſe admonet An. 1681. Londini Jan. 20.

* M. VITRUV. de Architect. Lib. VIII. in præfat. *Aqua vero non ſolum potus, ſed infini-*

leſtem Beneficentiam ſumma cum cæremonia laudibus gratibusque venerabantur propter aquas largiter conceſſas animantibus; qua in luce collocari debet inæſtimabilis Divina Providentia ſoporiferas facultates Papaveris * ſativi & ſilveſtris ſine parſimonia mortalibus ægris largita? In hortis, in arvis, in inculto ſolo Papaver paſſim eminet, quaſi geſtiat ſollicitudines animantibus elevare, dolores obtundere, dulcem & conſervationi apprime neceſſariam ** requiem animantibus conciliare. Hinc melliferæ laborioſæ apes *** papavere libenter inerrant; in calyce papaveris beate pigrantes crebrius inſident; tactu ipſo ſuctuve papavereo mirifice delectantur. Ecquis neget apibus ingenii & induſtriæ plurimum a natura tributum? Ecquis non credit mella electis jucunditatibus, & nectarea ſalubritate humano generi commendari?

XIV.

infinitas uſui præbendo neceſſitates gratas (quia eſt gratuita) præſtat utilitates. Ex eo etiam qui ſacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, oſtendunt omnes res e liquoris poteſtate conſiſtere, itaque cum hydriam tegunt, quæ ad templum ædemque caſta religione refertur, tunc in terra procumbentes manibus ad cælum ſublatis, inventionibus gratias agunt Divinæ Benignitatis. Qui ſtudent elegantiæ verborum Latinorum, & oratoriis ornamentis dicendi, cum Vitruvii libros legunt, memoria teneant quæ ſcripta ſunt a Cicerone de Cæſare in libr. de claris Oratoribus Cap. LXXV. *Cæſar autem rationem adhibens, conſuetudinem vitioſam & corruptam, pura & incorrupta conſuetudine emendat.*

* PLIN. Hiſt. Nat. Lib. XIX. Sect. LIII. *Papaveris ſativi tria genera. Candidum, cujus ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos dabatur. Hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergitur, affuſo ovo inhærens, ubi inferiorem cruſtam apium githque cereali ſapore condiunt. Alterum genus eſt papaveris nigrum, cujus ſcapo inciſo lacteus ſuccus excipitur. Tertium genus rhæam vocant Græci, noſtri erraticum.* Lib. XX. Sect. LXXVIII. *Silveſtrium unum genus ceratitin vocant, nigrum cubitali altitudine, radice craſſa & corticoſa, calyculo inflexo, ut cornicula. Folia minora & tenuiora, quam ceteris ſilveſtribus. Semen exile tempeſtivum eſt meſſibus: alvum purgat dimidio acetabulo in mulſo. Folia trita cum oleo, argema jumentorum ſanant &c.* Sect. LXXIX. *Alterum e ſilveſtribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron. &c.* Sect. LXXX. *Tertium genus eſt tithymalon, meconа vocant, alii paralion &c.*

** *Quod caret alterna requie, durabile non eſt.*
Hæc reparat vires, feſſaque membra novat.
OVID. Heroid. Ep. IV. ℣. 89. 90.

*** VIRGIL. Georg. Lib. I. ℣. 212. *Cereale Papaver.* Georg. Lib. IV. ℣. 131. *veſcumque papaver.*

M. VARR. de R. R. Lib. III. Cap. XV. *Si pabulum naturale non eſt, ea oportet dominum ſerere, quæ maxime ſequuntur apes. Ea ſunt, roſa, ſerpyllum, apiaſtrum, papaver, faba, lens, piſum, ozymum, cyperum, medica, & maxime cythiſum, quod valentibus utiliſſimum eſt. Etenim ab æquinoctio verno florere incipit, & permanet ad alterum æquinoctium autumni. Sed, ut hoc aptiſſimum ad ſanitatem apium, ſic ad mellificium thymum. Propter hoc ſiculum mel fert palmam, quod ibi thymum bonum, & frequens eſt.*

XIV. Curatio igitur *Variolarum*, quæ vere ſe recludunt, nec puſtularum toris inæquales corporum ſuperficies lividis aut ſquallentibus maculis fœdant, inter initia jubet, a pleniore victu & meraciore potu abſtinere, frigora & æſtus vitare. Nam frigus contactos artus denſat, humoresque tenaciores fingit. Calor immodicus cohærentiam ſanguinis ſolvit, & purulentæ peſti materiem facile aſſimilandam ſubmittit. Utraque vis metuenda; ne rigor edura puris coagula intus teneat, neu fervor conferte puſtulas nullis diſcluſas ſpatiis ad ſumma protrudat, vel ſanguineos rivos nullo colligatos glutine per urinæ, ſalivæ, ac ſudoris vias effrænate ad exitum incitatos devolvat. Interea victus parcipromis decretis conveniens motus vitales ſuſtineat, ſed minus alat. Aquoſi latices ſapore acidulo attenuandi & lubricandi proprietates congeminent. Succi melliti aceto ſparſi & roſa ſemina *Variolarum* acerrima, quæ fauces, quæ uvam, quæ tonſillas captant, crebro mulceant; viſcatis lita ſputismatis pure detergeant. * Acetum aut purum, aut mulſum, flore, ſemine, radice,

* *De vini degeneratione in Acetum, & an ſit calidum, vel frigidum?* Deciſio experimentalis Joſephi Franciſci Burrhi. Oper. Valisneri Tom. I. edit. Venet. 1733. in fol. pag. 382. *Cujuslibet Aceti facultatem vere amphibiam dicimus: nam ſi Aceti drachmam unam accipias, aquæ vero optimæ uncias ſex cum eo inficias, refrigerare quidem perſenties Acetum. Quod ſi hanc portionem transgrediaris ita, ut ſex unciis aquæ Aceti unciam immiſceas; cum hac adaucta portione quemvis inebriare poteris - -. Cum Margaritæ & Corallia ſint frigida & ſicca, ut notum eſt omnibus, obediantque in momento Aceti ſolutionibus, decernendum venit, quod ſit calidiſſimum ac humidiſſimum in centro eſſentialiter Acetum.*

HIPPOCRATES de ration. vict. in morb. acutis Acetum vel mulſum, vel cum aqua mulſa dilutum & calidum & frigidum iterato commendat, velut utile, maxime iis, in quibus abundat bilis. CELS. Lib. V. Cap. XXVII. *Uſus tamen ipſe docuit, eum, quem Aſpis percuſſit, Acetum potius bibere debere. Quod demonſtraſſe dicitur caſus cujusdam pueri, qui cum ab hac ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, Acetum, quod forte ſecum habebat, ebibit & liberatus eſt. Credo quoniam id, quamvis refrigerandi vim habet, habet tamen & diſſipandi.*

PLIN. Hiſt. Nat. Lib. XXIII. Sect. XXVII. Cap. I. *Acetum per ſe hauſtum faſtidia diſcutit; ſingultus cohibet; ſternutamenta olfactu. Vim in balineis æſtus arcet, ſi contineatur ore. Quin & cum aqua bibitur. Multorum ſtomacho utiliter gargarizatur; cum eadem convaleſcentium & a Solis ardoribus. Oculis quoque illo modo ſaluberrimum fotu. Medetur potæ hirudini. Item lepris, furfuribus, hulceribus manantibus, canis morſibus, ſcorpionum ictibus, ſcolopendrarum, muris aranei, contraque omnium aculeatorum venena & pruritus. Item contra multipedæ morſum. Calidum in ſpongia, adjecto ſulphuris ſextante ſextariis tribus aceti, aut hyſſopi faſciculo, medetur ſedis vitiis. In ſanguinis fluxione poſt exciſos calculos, & omni alia,*

dice, vel herba quodammodo medicatum & potu & fotu calorem temperet, aritudinem madefaciat, coagula liquet, mordaces diſtentæ cutis pruritus compeſcat. Nares quoque juvat aceto admoto fovere, cujus medicinales virtutes in odore & vapore tenuiſſimis rebus miſſis conſiſtunt. Aſſiduo tamen crebroque pulſu pinguia, compacta, carnes, oſſa denſiſſima penetrant, qua contendunt exire: ac perinde quæ ex aceto ſuavitates afflantur, nervos grata titillatione contingentes animum exhilarant; aliave ſimul diffunduntur, quæ naturæ humani corporis amica

- - - volitant ſubtili prædita filo.

Nec ſingillatim poſſunt ſecreta videri. LVCRET. Lib. IV. ℣. 86.

Cor nihilominus & præcordia recreant, quibus vegetis oppreſſæ vires promptum levamen percipiunt, membraque cætera communem perſentiunt utilitatem. Imo quoniam *Variolis* primum excitis de nauſea, de ſtomachi & capitis doloribus, de lumbis & genibus fractis oſcitantes conqueruntur ægri, profecto vehementer ad curationem attinet Acetum, eamque abſolvit & perficit, poſt emerſas ex interaneis puſtulas quotidie datum Papaver. Quicunque igitur ad percurandas *Variolas* miti contagione ſerpentes medicas artes plurifariam diſpoſitas raris vel novis inventis geſtit adornare, idem plane affectat, ac ſiquis naufragum ejectum jam in litus & optatæ arenæ compotem longurio impellere vel fune trahere longius a fluctibus velit, ut multum operæ in ſalutem ejus, quem noverat ſalvum, contuliſſe videatur. Sed curationes qualeſcunque *Variolarum* diſſimili acerbitati convenienter adhibendas, vel faciles, vel difficiles, periculoſas interdum & ancipites tria intelligenter cognita, & ſolertius conſiderata caute

alia, foris in ſpongia impoſitum, intus potum cyathis binis quam acerrimum. Conglobatum utique ſanguinem diſcutit. Contra lichenas & bibitur & imponitur. Siſtit alvum, & rheumatiſmos interaneorum infuſum: item procidentia ſedis vulvæque. Tuſſim veterem inhibet, & gutturis rheumatiſmos, orthopnoeam, dentium labefactationem. Veſicæ nocet, nervorumque infirmitatibus. Neſciere medici, quantum contra aſpidas polleret. Nuper ab aſpide calcata percuſſus utrem aceti ferens, quoties depoſuiſſet, ſentiebat ictum, alias illæſo ſimilis. Intellectum ibi remedium eſt, potuique ſuccurſum. Neque altero os colluunt venena exſugentes. In totum domitrix vis hæc non ciborum modo eſt, verum & rerum plurimarum.

DIOSCORIDES Lib. V. Cap. XXI. *Medicamentoſas Aceti facultates prolixe memorat & extollit.*

PLINIVS VALERIANVS item Lib. III. cap. ult.

caute prudenterque definiunt: Scilicet infecti ætas, anni tempus, & diſtincta pervulgatæ peſtilitatis notitia.

XV. Enimvero puerilis florens ætas vel morbis vel peſtifera *Variolarum* contagione involuta paucioribus plane ſe exſolvit & extricat, quam adulta & in ſenium vergens, aut ſiccis jam oſſibus tremefacta ſenectus. Juventa porro impubes internis propriis * viribus raptim ad incrementum nititur, & vix indiga externæ medicæ opis, recreata ſolis alimentorum ſubſidiis valeſcit. Hinc non immerito deſpectus ab Uxore ** Imperatoris Philoſophi, & ludibrio habitus qui medicum ſe profeſſus filiæ virgini puellæ curationem appoſite ad ſanandum adhibere ignoraret. Forſitan Piſitheus ille, ut *** "*græculus eſuriens*,, aliquis, majorem artem quampiam, ſeu lucroſiorem requirebat, & rabiem quaſi medicinas medicinis aggerendi anhelabat, miſellamque Fadillam Auguſtis prognatam Parentibus tam diu, tam indigne perverſis excogitatis diſtinebat, medicamenta iisdem technis non ad ſolatium, ſed ad interitum aggregando, ut Fauſtina, quantumvis domina imperioſa & mater vehemens maritum, alioquin facilem ſibique obſequentem, rogaret tamen, Soteridam, cujus peritiæ magis confi-

deret;

* CIC. Tuſc. quæſt. Lib. III. Cap. III. *Cumque ad corporum ſanationem multum ipſa corpora, & natura valeant.*

** VVLCAT. GALLICAN. in Avid. Caſſ. Cap. X. *Epiſtola Fauſtinæ ad Marcum. Ipſa iter tuum mex conſequar: quia Fadilla ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed ſi te Formiis invenire non potero, aſſequar Capuam: quæ civitas & meam & filiorum noſtrorum ægritudinem poterit adjuvare. Soteridam medicum in Formianum ut dimittas rogo. Ego autem Piſitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationem neſcit adhibere.*

Marcus Aurelius Antoninus Annii Veri, & Domitiæ Calvillæ filius, jubente Hadriano adoptatus ab Antonino Pio, quo demortuo, in ejus locum ipſe Marcus Philoſophus ſucceſſit an. U. C. DCCCCXIV. Ad Stoicorum diſciplinas eruditus Imperator Philoſophus non pauca ſcripſit de ſeipſo ad ſeipſum Senecæ & Epicteti ſcriptis conſona. Uxorem habuit Fauſtinam Antonini Pii, & Fauſtinæ filiam: cujus effrænatam licentiam vagandi, obſcure ferens, & proterviam intolerabilem patienter diſſimulans, verum ſe fuiſſe Stoicum per dicta & facta publice confirmavit. Fauſtina confecta doloribus articulorum extincta eſt in vico Alala ſub radicibus montis Tauri ad Euphratem in Palmyrenis regionibus, qua iter cum marito proſequebatur. An. U. C. DCCCCXXIX. Quatuor poſt annis Marcus diem ſupremum obiit circa Vendobonam ætatis agens an. LIX. Imperii XIX. U. C. DCCCCXXXIII. Antonini Philoſophi & Fauſtinæ filii ab Hiſtoricis nominantur Annius Verus, qui ſeptennis periit ex ſecto ſub aure tubere. Commodus, Lucilla, quæ L. Vero prius, deinde Pompejano nupſit, & Fadilla.

*** JVVENAL. Sat. III. verſ. 77.

- - - *„omnia novit*
„Græculus eſuriens: in cælum, juſſeris, ibit.

ſideret, ad ſubveniendum filiolæ periclitanti Formianum dimitteret. Ah quam ſæpe talis utiliſſima obſervatio in Medico eligendo negligitur! & quanto plures Piſithei ad medendum accurrunt, tanto pauciores circumſtant Soteridæ: Iniquiſſime profecto ab inſipientibus concertatione comparata, in nobiliſſimam medendi profeſſionem injurioſa, in clariſſimos doctrina viros contumelioſa, nec ſine gravi reipublicæ detrimento. Sed * "*temeraria, atque inconſiderata, & plerumque peccatorum, vitiorumque laudatrix fama popularis*,, monſtroſas novitates fere admiratur & laudat, ſumma æſtimatione digna repudiat. Cupiunt quidem homines quæ neſciunt, ſcire: prudentiores vera ſtudioſe petunt, & optima perſequuntur. Sed contra morbos ægritudinesque, quaſi non multum abſint ab inſania cum in medici delectu, tum in aſſumendis remediis, plurimi errore nominis falluntur, pauci admodum eminentem medicinæ ſcientia & arte ſectantur. Ex immortalibus majorum ſcriptis, cujusque ætatis magni medici quam acriter improbaverint multiplicatam remediorum varietatem uni ægroto exhibitam, intelligi poteſt. Ex alto conſpicui honoris faſtigio & verba & experientia & conſignatæ chartis litteræ derident, contemnunt, explodunt, exſibilant: quinetiam conſulte, docte, atque ſatis luculente damnant, ** quæ non ita pridem ægris uberius exhibita, rei & ſaluti per-

* CIC. Tuſc. quæſt. Lib. III. 2.

** Antonii de Haen S. C. R. A. Majeſtatis Conſiliarii & Archiatri, nec non Medicinæ in hac alma & antiquiſſima univerſitate Vindobonenſi Profeſſoris Primarii, Societatis Haarlemenſis Socii &c.

Rat. Medend. in Noſocomio practico Cap. II. De Medicamentis in morbis acutis p. 29. *Cardiaca noſtra ſunt Decocta panis albi, cum Ceraſis, aut Fragis, aut Rubo idæo, aut Ceraſis acidis, aut Ribeſiis. Hæc & ſimilia diluunt humorum maſſam &c.*

Didicere Apollineæ artis alumni hac via ſe longe tutius progredi, quam ſi magniloquas, ac vaniloquas Diſpenſatorii Viennenſis formulas, & promiſſa imitarentur. Cujus Diſpenſatorii vanitates, ſi ingenue fari detur, oſtendere omnes qui vellet, næ totum fere illud exſcribere ipſum oporteret. Quid ad Pleuritidem pulvere pleuritico inanius? Quid ad malignitates in morbis aut præcavendas, aut emendandas, Pulvis de Gutteta Riverii? Pulvis Marchionis? Bezoardicus? Pulvis Pannonicus ruber? Pulvis pretioſus albus? & id genus alia? Illuminatius vivimus ævum, quam ut his nugis fidem adhibeamus. Sed, inquiunt, horum uſum noſtra nobis experientia probavit. Et nos experientia didicimus hæc crepundia vituperare. Inſpicite Rerum in Noſocomio ſucceſſum! Ne unquam tamen talia noſtras ædes ingreſſa ſunt.

His quippe præter inania multa accedunt Lapides multi pretioſi, Aurum, Margaritæ orientales, &c. quibus quid damnoſius? Implentur corpora rebus a Natura non domandis, quæ vi ſua Mechanica agant, & irritando, Vomitus convulſionesque producant, aut non palpandi pulveris forma cum ſucco gaſtrico & enterico in moleſtas, imo lethales abeant concretiones.

pernicioſa Medicinæ auctoritatem, profeſſoribus fidem derogabant. Doctrinæ tamen per ſeſe claræ cum naturis rerum, & cum judicio ſanæ mentis conſentaneæ præſtigiis, captionibus, atque inſuperabili ſemidoctorum arrogantia obliterantur. Sæpe novitas, pretium, magnifici apparatus, magnidica mendacia, & miraculorum oſtentatio non ſolum ſimplici popello, verum etiam primoribus civium, & metutas poteſtates gerentibus impudentiſſime illudunt. Eſt ne hoc ſcire * "*id dare quod re ipſa debetur honori?*",

> *O miſeras hominum menteis! o pectora cæca!*
> *Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis*
> *Degitur hoc ævi, quodcumque eſt!* LVCR. Lib. II. ℣. 14. & ſeq.

Sed revertamur ad *Variolas*, quarum contagione inquinatis, quænam ratio medendi generatim, quæve ſingillatim induſtriæ apte quadrent, ægrotantis ætas, anni tempus, & diſtincta vulgatæ peſtilitatis notitia queunt ſatis juſte decernere.

XVI. Itaque, quoniam teneras carnes & mollia involucra minus acriter ferire ſolent purulenti *Variolarum* aculei cum ex venulis extremis ad ſuperincubantes tunicas ſe erigunt, earumque perexiles contextus illico levi tactu transforant; idcirco lactens infans idoneas ad exterminandum omne puſtularum genus mixturas medicamentoſas cum lacte duntaxat ſugat per venas & arterias caræ nutricis transfuſas. Conſueto nimirum amici corporis colo cum inimitabili artificio innocentiſſime percolatas**. Quinimo ſalubriter ſuccis ad medendum electis confuſas, quandoquidem potiones aquoſæ dulces vel ſubacidæ ex eſcis lenibus cum roſa, melle, pomis & oluſculo pulchre ſubactis, extrahant medicatos exquiſitos latices. Qui ſanguini adjuncti mammarum albicantes glandulas mixtim tranent, alveosque lacteſcentes ita oppleant, ut roſeæ papillæ turgidæ candidis ultro rorent ſtillicidiis. Hiſce porro fontibus derivatum ſalubre nectar, additaque deinde præclarum aura ſoporifera & ſugentem abunde paſcit pupulum, & ani-

* C. LVCIL. Satyr. fragm. in definitione virtutis.

** LAVRENT. HEISTERI Compend. anatom. cap. de Thorace. *Foraminula, ſeu orificia tubulorum in lactantibus optime, quando lac exprimunt, conſpicua ſunt VII. VIII. ad X. in homine.*

animulæ alit igniculos adeo, ut vitia viſcerum poſſint excoquere, ac perinde caloribus vitalitatis affatim ſatisfacientibus excluſioni quoquoverſus dimiſſis, inutile quicquid excoctum atque ſecretum exſudet. Certe quidem lac animantis lactariæ multum contrahit, & pares participat facultates de iis, quibus humet & veſcitur, dummodo ſanguineos meatus ſubeant; Hinc ſi adventitio præſcripto alimonio particularum immenſæ ſubtilitatis copioſe ſit, lac pariter attenuatur nutricis. Quo deinde ſtomachus & inteſtina ſugentis madida, nemo dubitat, quin liquidiſſimos, & aërios quaſi humores eliciant. Quo tenuior autem ſuccus denuo ſe immiſcet ſanguini, guttatim licet influat, eo facilius aſſidue inſtando lentitudinem omnem dimovet, junctiones pingues, oleoſas, pituitoſas dividit, atque volubiles particulæ minimæ incitatæ, cum denſiora corpora penetrant, uberrimo acceſſu gravitatem ponderoſiorem extenuant. Inde cerebrum puro fæculentæ materiæ cruore irriguum, vapores & ſpiritus elutiores rehalat, qui, radioſa velut ſolis lumina, momento diffuſi & corticoſa ſub calvaria tegmina, & medullam longam in oſſea vertebrarum conjuncta cava demiſſam, nervosque inde productos, & undatim criſpos ad univerſam corpoream naturam, qua ſenſiferam, qua irritabilem propagatos inviſo quidem rore, ſed certe mobiliſſimo usquequaque perfundunt. Ita opere in uno parvuli nutricantur, ſimulque illorum viſcera, venulæ arteriæ & nervuli ad commovenda primo & ſegreganda, tum ad extrudenda foras quælibet *Variolarum*, aut alienæ peſtis mala ſemina optime præparantur. Etenim tumores, puſtulæ, ſcabies, concreta, vel infixa, quæ in pus vertuntur, aut inflammationem movent: quorumve acceſſione modo firmitas, modo levitas, figura interdum & ſpecies a temperatura & mole nativa in affecto corpore degenerant, facillime diſſipantur, ſi durata molleſcant, ſpiſſata eliqueſcant, & rejectaneis exitus aperiantur. Confluentibus inſuper iis, quorum interventu fervor, impetus, & attritus minuuntur, humoresque blandi augeſcunt, momenta fluendi ac refluendi curſu æquabili ubique perennant, & ſubſilientibus continenter defæcatis quam limpidiſſimis aſperſionibus ad ſpiracula quæque, ulceroſæ tandem foſſulæ omnino eluuntur, & omni emulſo *Variolarum* tabo, admorſa cutis lurida, liveſcens, vel retorrida albeſcit, cicatrices olidæ

dæ ſiccantur. Profecto curationes hujusmodi tuto & jucunde, nec minus appoſite ad ſanandum implicitis in *Variolas* adhibentur, lactentibus quidem cum lacte dulcis nutriculæ ad medendum adminiſtrato; a mamma vero disjunctis trimis vel quadrimis, & acta nondum pueritia correptis a febri puſtuloſa inter potiones & eſcas diſtributæ. Nempe curationes a provida magni æſtus refrigeratione, atque a cohibitis interioris motus furoribus inchoatæ, ab opportuna quiete, doloribusque tum fomento idoneo delinitis, tum papavere ſoporatis perfectæ. Niſi forte aliquando errata novi aliquid conferant, vel ex inopinis caſibus indicia exacerbationis inſolitæ metuendæ ad ſubveniendum diſtincte moveant, & celeris auxilii triſtis utique neceſſitas cooriatur. Veluti bilis altius exſultans, cum ſtomachum intus mordicus arripit, fibrasque nervoſas pervellit enormiter, illinc raptim evocari compendio facto ducendi, evidenter flagitat. Cum ingluvie diſtenta ſimulque adſtrictior alvus pene ſuffocat: vel cum fuſa nimis evacuando laſſitudine prope conficit; ſuffarcinata ſordibus poſtulant levari, proflua moras necti, & ad quæ tempora refectioni magis congruunt, ſuſtineri. Attamen ad bilioſam ſaburram, quam ſtomachus non concoxerit, evomendam exhiberi poteſt medicina, niſi febriat puer, nec * infirmo ſit capite, neque graviter ex ** urinæ ſuppreſſione laboret. Vomitionem aqua tepida ducat, vel oleo adjecto, aut ſale, aut melle moderate ſollicitet. Vis abſit ***, Stibium, Chalcanthum & metalla removeantur, quæque violente & concitate ad vomendum adigunt. Dejiciendi alvum difficultates vincat infuſa clyſteribus cucurbita cum aqua cocta, vel jus tepidum cum admixta pauca herboſa, hordeacea, proclivi ad lapſum lubrica materia. Ventris profluvia, pedetentim ſemper ſufflaminanda tuto ſiſtat corticulæ juniperi coctura, utiliorem ſimul aquoſum potum efficiens, lævitati præſertim nec non ulcuſculis inteſtinorum alluendo abſtergendoque ſaluberrimam medicinam. Cum autem dentes primores ſuperne

 circa

* CELS. Lib. I. Cap. IV. *Cui caput infirmum eſt, maxime vomitus alienus.*

** SANCTOR. de ponderation. aphor. LXXXIX. *Vomitus urinam & perſpirationem divertit.*

*** *Stibium; ſeu Antimonii hepar edulcoratum; Crocus Metallorum; Terra Sancta Rulandi; Vitriolum album; Tartarus emeticus:* Vomitoria ſunt medicamenta plena periculi.

circa * ſeptimum menſem fere naſcuntur homini, ſi dentitio difficilis *Variolis* commotis aut papulis erumpentibus intercurrat, butyro inſulſo, vel roſaceo adjuncto melle gingivas ſubinde inungere ſatis eſt; inſtillatoque guttatim ſucco ex hortenſia cæpa tuſa, os aquaticis lotionibus munditer ſedulo habere. Nam dentibus & gingivis munditia utiliter adhibetur, dentiſcalpia prudenter vitantur. Maxime tamen adjuvat cavere, ne manus, ne pedes, neu extremitates corporis unquam frigeſcant. Etenim nullo in morbo, & minime in corrupti humoris expulſione utile eſt, extima involucra denſari frigoribus; quia per venas & arterias quidquid cum vivo ſanguine fertur ad cutis foramina, inſinuare ſe nequit in oppilata ſpatia membranæ vel carnis, quæ obriguerit gelu. Cæterum altiuſculas puſtularum moles iterum ac tertio acu pertundere, maturamque ſaniem e cumulate turgentibus preſſu levi educere ** Galeno jam olim in mentem venerat. Sed in curandis *Variolis* rara dictu & ſingularia, quæ varia hominum ingenia ſub oppoſitis regionibus tum Auſtralibus tum Aquilonaribus exco-

* PLIN. H. N. Lib. XI. Sect. LXIII. *Homini poſtquam natus eſt ſeptimo menſe dentes, ceteris cum ipſis naſcuntur. Mutantur homini, leoni, jumento, cani & ruminantibus. Sed leoni & cani non niſi canini appellati. . . . Maxillares, qui ſunt a caninis nullum animal mutat. Homini noviſſimi, qui genuini vocantur, circiter vigeſimum annum gignuntur: multis & octogeſimo, feminis quoque: ſed quibus in juventa non fuere nati. Decidere in ſenecta, & mox renaſci certum eſt. . . . Cetero maribus plures, quam feminis in homine, pecude, capris, ſue. . . . Eſt exemplum dentis homini, & in palato geniti. At canini amiſſi caſu aliquo nunquam renaſcuntur.* Sect. LXIV. *Equo caſtrato prius, non decidunt dentes. Nec cervi caſtrati, cornua abjiciunt. Philoſopho teſte lib. 9. hiſt. animal. cap. 79. pag. 1174. Harduinus.*

VARR. de R. R. Lib. II. Cap. XIIII. edit. Florent. per hæredes Philippi Juntæ M. D. XXI. *Aetas cognoſcitur equorum, & fere omnium, qui ungulas indiviſas habent, & etiam cornutarum, quod equus triginta menſium primum dentes medios dicitur amittere, duos ſuperiores, & totidem inferiores. Incipientes quartum agere annum itidem ejiciunt & totidem proximos eorum, quos amiſerunt, & incipiunt naſci quos vocant columellares. Quinto anno incipiente item eodem modo amittere binos, quos caninos habent, tum renaſcentes eis. Sexto anno impleri. Septimo omnes habere ſolent renatos, & completos. His majores qui ſunt, intelligi negant poſſe, præterquam cum dentes facti ſunt brochi, & ſupercilia cana, & ſub ea lacunæ, ex obſervatu dicunt eum equum habere annos ſexdecim.*

PLIN. ibid. *Equo dentes ſunt numero XL. Ceteris ſenecta rubeſcunt, equo tantum candidiores fiunt.*

LAVRENT. HEISTER *Dentes homini in quavis maxilla XIIII. XV. vel XVI. Si numerus eſt perfectus: Diviſio, in inciſores quatuor, caninos duos, qui in maxilla ſuperiore oculares vocantur, & molares octo in quavis maxilla, & dentes ſapientiæ duos.*

** GALEN. Comment. III. in libr. Hippocr. de fracturis narrat. 44.

excogitarunt, acervatim, confuſe, ubique, in omni caſu vix facta pauſa experiri? Mixturas mixturis, pilulas pilulis, pulviſculos pulviſculis, guttulas guttulis operoſius aggerere? Quin etiam nova portentoſa excudere, mirabilia quædam artificia comminiſci? Eloquar, an ſileam? Ejusmodi artifices, etiamſi nullam, ut argento emungant ægros, fingunt fallaciam, irrequieta occupatione ingerendi, applicandi, detrahendi functiones vitales, naturales, animales, & voluntarias interturbant, ac perinde plus exhibent negotii, plus inferunt * periculi, quam ipſæ *Variolæ*.

XVII. Pauca profecto deſiderantur pro nutricatu & remediis adverſus *Variolas*, quæ mollia puſionum, & puellarum corpora obſident, eruptionibusque papularum infeſtant. Videlicet ſiquando juvenilibus primis annis vegetos, nec alio vitio aut morbo affectos, nec valetudinarios corripiant; Sin pubertate grandiuſculi forticulos reponant conatus, ne præcorrupta celeriter ad cútem perveniant; ſin adoleſcentia feroces, virique robuſti vel ſenes occidui cum *Variolis* con-

* ALEXANDRI PASCOLI Peruſini in Almo Romæ Archigymnaſio Medicinæ Profeſſoris Primarii, totiusque Status Eccleſiaſtici Protomedici Generalis Lib. III. de Homine, Sect. II. Cap. XX. *Plures vidimus aut Variolis aut Morbillis laborantes opera medica potius, quam Symptomatum atrocitate deceſſiſſe.*

Quæſtiones ſæpius motæ ſuper methodo inoculandi *Variolas* ab ANTONIO DE HAEN Sacr. Cæſar. Majeſtat. Conſil. Aulico &c. §. II. p. 34. 35. edit. Vienn. 1757. *Vidi pariter pauciſſimos admodum a Variolis in Hollandia mori, cura ejusmodi Medicorum, qui, ut in cæteris, ita & in hoc morbo optima methodo uterentur. Idem obſervo Viennæ viciniſque in urbibus ſub bonorum Medicorum cura. Idem de ſe, aliisque teſtatur Clariſſ. Loeberus tract. in 8. Jenæ,* 1730.

ALEXANDER PASCOLI Peruſiæ publicus Medicinæ Doctor glorioſam inſiſtens viam ad rationales medendi Artes, quam immortales illi Franciſcus Redi, Alfonſus Borelli, Marcellus Malpighi, Laurentius Bellini, Joſeph del Papa præmonſtraverant, italica oratione deſcripta edidit an. Aer. Chr. 1701. *Delle Febbri Teorica e Pratica, ove il tutto ſi ſpiega, per quanto e poſſibile, ad imitazion de Geometri. Diſcorſo del Sonno e della Veglia ad Antonio Magliabechi. De Sogni al Conte Niccolo Montemellini. S' impugnano gl' Atomi. Della Fame e della Sete. Oſſervazioni Pratiche. Dell' Anima de Bruti alla Sig. Petronilla Paolini Maſſimi Marcheſa di Ortona e Carreto.* Deinde arceſſitus Romam ad docendum. *Pro ſolemni Studiorum renovatione in Templo Archigymnaſii Romani XV. Kal. Novemb. M D CC VI. peroravit de Anatome Litterarum coram Clemente XI. Pont. Max. De vera in Litteris Sapientia coram Eminent. Principe Joan. Bapt. Spinula S. R. E. Cardinali Camerario. An. M. DCC. XV.* Libri tres de Homine clare oſtendunt, haud ulli ſuæ ætatis fuiſſe rerum medicinalium ſcientia ſecundum plurimis latini ſermonis cultura præponendum.

conflictantur, pluſculum, quam teneri, peritiæ, induſtriæ, atque ſubſidii a Medico expoſtulant. Verum inter initia ſemper convenit, aquoſo potu, cibo tenuiſſimo, aut nullo, aëre temperato, & quietis artubus, animoque tranquillo accenſæ febris æſtus mitigare, atque interanea exonerando ſupervacuis, fomitem communi corruptelæ humorum eximere. Sedulo tamen reſpicere oportet ad cauſas, quibus neceſſario ſenecta facile extinguitur, & nimium robur non ſine acerrima contentione disjicitur. Aliter porro ingruentes morbos & peſtilentes febres tolerant ſobrii, qui cupitis & placitis modum ſtatuentes rerum uſum, naturæ conſervatricis neceſſitatibus, non ſatietate metiuntur & privatim & publice temperatiores a cupidinibus. Aliter commiſſabundi ac temulenti divexantur, cum ab epulo, popina, ganea, vel tripudio ſaturati cibis, vino madidi, ſudoribusque perfuſi ab ingruente horrore, vel frigore cauſis velut antecedentibus; mox a febriculoſis caloribus, ut incendiis ſubſequentibus corripiuntur. Inde probe doctus & peritus Artifex diverſam opitulandi viam ingreditur, cum ſatur atque ebrius ætate florens & lacertis validus vi ſubita obrutus concidit, vel cum ſedens in angulo ſemiviva voce ſeniculus medicinalem opem reclamat. Nempe haud ita medetur capiti, ſicut reduviam curat. * "*Eraſinus, qui ad Bootæ torrentem habitabat, a coena vehementer febricitans, quinto die poſt ſudantibus & convulſis artubus cum occidente ſole diſperiit.* ** *Philiſtes in Thaſo commiſſabundus aſſidue, propterea que febriens, quinis pariter exactis diebus, contractis introrſum præcordiis, ſurdus, delirus cum matutina luce extinctus mortem obiit.*"

XVIII. Num igitur ſolertior dexteritas & habilior ad agendum debetur induſtria puerae pubenti, cujus uterus, apertis primo venulis illac tranſeuntibus, roſeo rubore tinctis manat roribus interibi, dum creberrimis ſanguinis incurſionibus pulſatæ arteriæ in carpo reptantes, ardentes oculorum orbes, & facies impenſius coloratis ſplendeſcens luminibus concorditer una ſignificatione denotant, *Variolarum* peſtem intus jamjam ab humoribus ſanis ſegregari, & ad inter-

terſti-

* HIPPOCR. de morb. vulgar. Lib. I. Aeger VIII.

** HIPPOCR. de morb. vulg. Lib. III. Aeger IV.

terſtitia carnoſa cum concitata ſanguinis prolapſione rapi? Certe inter conflictionem utilis & noxiæ materiæ ejusmodi vivum ſanguinem aliunde uberius effundi periculum affert, ne interverſa fluendi momenta peſtilens virus ad cutem recta pulſum alio detorqueant, neu profluentia diminuta in viſceribus puſtulæ ſubſidant. Quare parca manus alimenta vitæ duntaxat ſuſtinendæ neceſſaria gerat, vel unum diem ſubducat eſurienti cibum; de potionibus aliquid ſubtrahat; acidulo ſapori nonnihil addat: ſed inceptæ menſtruæ fluxionis coërcitionem ſumma prudentia gubernet. Nam unam vel alteram dieculam ducendo cum ſecuro animo & corpore ad quieſcendum compoſito, completa expulſio puſtuloſi ſeminii, quod in ſupera membrorum tegumenta ſparſim redundat, conſequitur. Prægnans etiam mulier laborioſe ſentit *Variolas* intus concitas, ad quas viſceribus exhauriendas, & ad fœtum tam a contagione morbi, quam a diremptione matris tutandum vitales qualescunque motus interiores miris modis luctantur. Quocirca, ne ſalutares naturæ conſervatricis nixus, renixus, mutationes, ſeparationes & expulſiones ab adventitiis cibariis, vel medicamentoſis perturbentur; victu quidem perexili, ſed paulo crebriore alimonii additamento vires præſtat collabentes inſtaurare; quæ valentius nutriunt, & calfaciendo robur exaugent, removere. Hinc, ſiquid ſuperat, abſtinentia extenuare; penuriam exiguæ adjectiones & repetitæ ſuppleant. Ex jure inſulſo fruſtum panis ſiliginei ſæpicule vorare, coacta juſcula ſubinde ſorbere, pulticula, ſorbillis, victitare, diemque paulatim producere ad tempus, quo puſtulæ affatim emiſſæ computreſcant, & exareſiant, nec ſuccos papaveris, cum opus eſt prætermittere, *Variolas* inter conceptum & partum de improviſo intervenientes percurant. Butyrum quoque recens cum jure vel tepida hordeacea clyſteribus inditum & gravidæ & fœtui aliquid infert & intrudit leniſſimi congrui nutrimenti. Sanguinem * mittere, dejectione

* ALEXAND. PASCOL. Lib. III. de Homin. Sect. II. Cap. XX. De *Variolis*. Curatio. *Num ſanguinis miſſio conveniat, nec ne, id adhuc acerrime inter Clinicos exagitatur, eam tanquam pernicioſiſſimam aliis plane improbantibus, aliis veluti neceſſariam in exordio, ante diem videlicet quartum factam approbantibus. Ulterius vero procedente morbo, & ſub finem præcipue, unanimi fere conſenſu in hoc conveniunt omnes, ut fateantur, eam aut mortem arceſſiſſe, aut ſymptomata plurimum ſaltem exaſperaſſe. Nos autem tum in Noſocomiis, tum in ædibus privatis, & Romæ, & Florentiæ, & Peruſiæ. . .*

San-

ne purgare, vomitiones violente ciere, ſalus plane deſperata poterit, a præclaris Medicis extorquere. Si primo triduo violentior diarrhœa arripiat? Si lividæ maculæ, aut colore nigricantes juxta depreſſas poſt eruptionem papulas emergant? Si ſaliva ſuppreſſa, tenacior pituita ſuffocat? Si ex pulmone lacero ſanguis micans expuitur? utique licet deſperatiſſimo quoque tentamine uti.

XIX. Perſpectis & conſideratis iis quæ ad ætates & conditiones corporum pertinent, ſiquando *Variolæ* infantem, puerulum, incipiente jam pube, adoleſcentem, adultum, ſenem, aut virginem in primis menſtruis, aut gravidam fœturæ tempore corripuerint, proximum eſt reſpicere ad viciſſitudines anniverſarias, atque attente obſervare, quæ tempeſtatum genera morbidas affectiones aut pejores aut leviores faciant. Neque ſolum intereſt advertere, quales dies intercipiant ſerpens per incautos *Variolarum* contagium, ſed quales etiam ante ordinatæ vel confuſæ, ſerenæ vel turbidæ menſtruales cœli mutationes præceſſerint. Nam ubi a primo vere calores orſi ad ſolſtitiales æſtus & Sirii ardores continuarunt, ibi decumbentes diffluere ſudoribus neceſſe eſt. Imo aër cum æſtuoſior inarſit, a reſpirante

Sanguinem ſumma niſi neceſſitate ducti, nunquam emiſimus. . . . Alvum in Variolis movere, maxime morbi principio, res eſt profecto periculi plena, eo quod alvi profluvium ſuperveniens Variolas erumpentes non raro compreſſerit, atque ægrotantem propediem extulerit.

Ex inclyta, vetuſtaque Progenie recens nupta Mulier, geſtationis menſe quinto, Variolis vehementer affecta, Romæ non ita pridem nobis ſeſe tractandam commiſit. Hanc cum aliis Medicinæ Profeſſoribus a morbi exordio ad finem usque, non ſecus ac noſtrum Syriſcum præcedentis hiſtoriæ, propemodum tractavimus; eamque feliciſſime tandem evaſiſſe, item & fœtum optime conſtitutum, nono transacto menſe, non abſimili felicitate mox peperiſſe vidimus. Fœtus fuit fæmina, quæ ad annum, & ultra incolumis plane vixit. Inde affectionibus variis identidem ad annum usque ſeptimum tentata, quibus tandem ſuperatis, in præſentiarum optime valens adhuc vivit. At enim vero non modo per quam illuſtrem mulierem hanc, verum etiam cæteros fere omnes, quot Variolis laborantes & in Noſocomiis, & extra per Urbem ita ferme tractavimus, tot niſi nos fallat memoria, tum maſculos, tum fæminas, tum recens natos, tum adoleſcentes, tum etiam adultos ſuperſtites evaſiſſe vidimus. Quinimo & in Noſocomio Regiæ Domus S. Jacobi Hiſpanorum Urbis viros quadraginta, quinquaginta, & ultra annos natos, neſcio an ea medendi methodus, an ipſa Natura ex Variolis confluentibus, febre peſſima ſtipatis, non ſemel ſubduxit.

THOM. SYDENHAM Sect. III. Cap. II. *Variol.* regul. an. 1667. 68. *Animadvertendum vero eſt, quod ſi ad Adoleſcentem vegetiorem accerſor, & qui inſuper liberaliore ſive vini, ſive liquoris cujuscunque ſpirituoſi compotatione morbo anſam dedit, non ſatis habeo ad frænandam ſanguinis ebullitionem, ut tam Lectulo, quam Cardiacis abſtineat, niſi ad hæc ſanguis e brachio mittatur.*

rante ſine intermiſſione attractus, igneis vaporibus interiora demum ſiccat, inflammat: ac perinde aſperitate ſiticuloſa molliculæ viſcerum membranæ dehiſcunt, ſanguineisque largis ejectibus multiplices pandunt vias. Quid autem damnoſius implicitis in *Variolas* poteſt accidere cruenta undelibet profuſione? Tunc igitur apprime ſunt utiles ab acidulo aquoſo potu, & ab admiſſis in umbroſiorem locum puri aëris flatibus petitæ refrigerationes. Cum vero ſiccam ſeptentrionalibus ventis hiemem verni menſes imbricis Auſtris madidi excipiunt, febres, tormina, lippitudines puerorum & muliercularum delicatiores habitus pertentant. Contra ſi * "*ſævus Arcturi* ** *cadentis impetus*," perpetuas retrudat aquoſas nubes, & cum ver eſſe cœperit, gelidiores aëres continuato rigore ſicceſcant, abortus, laborioſi nixus, vix vitales partus, diutina puerperia gravidis portenduntur. Hinc a *Variolis* poſt hiemales crebras pluvias, vere ſicco inter Aquilonios flatus exorientibus terrores, pericula *** in gerentes uterum, appropinquante partu verius impendent. Jam porro imbres tam hieme quam vere ſine intermiſſione cadentes principiis lethalibus febres putridas, inſaniam, dolores laterum prætexunt. Aeſtivæ quoque aritudines, & conſequi autumni ſoles frequentioribus ſatiati pluviis minaciter terrent: Tuſſes enim, deſtillationes, tabem proxima ſubſequente hieme ſævituras in humanos conglomerant. Quam proxime tum ad necem feſſis tot malorum tædio, atrociſſimis caſibus perculſis, vel extrema patientibus *Variolarum* peſtis

F adji-

* HORAT. Carm. Lib. III. Od. I.

** PLAVT. Rud. prolog. v. 69.

Increpui hibernum, & fluctus movi maritimos,
Nam Arcturus ſignum ſum omnium acerrimum:
Vehemens ſum exoriens: cum occido vehementior.

COLVMEL. Lib. IX. de R. R. Cap. XIV. *A Canicula fere poſt diem quinquageſimum Arcturus oritur.*

MANIL. Lib. V. v. 352.

Nunc ſubit Arcitenens, cujus pars quinta nitentem
Arcturum oſtendit Ponto.

VIRG. Georg. Lib. I. v. 204.

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Hoedorumque dies ſervandi & lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

OVID. ex Pont. Lib. II. Epiſt. VII. v. 57.

- - - projectus in æquor
Arcturum ſubii, Plejadumque minas.

Arctophylax vel Bootes cœleſte ſignum, quod majorem Urſam a cauda ſequitur, inter pedes habet Arcturum ſplendentem ſtellam candidam ex ſeptentrionalibus primæ magnitudinis unam. Sunt enim, Arcturus, Lyra, Capella, Oculus Tauri, Cor Leonis, Cauda Leonis, Spica Virginis, Cor Hydræ, Cor Scorpii, Pes Orionis, Sirius, Fomahant, Auſtralesque tres nobis inviſæ, Canobus in Navi, Acarnar in Eridano, & Pes Centauri.

*** HIPPOCR. Aph. III. 12. CELS. Lib. II. Cap. I.

adjicitur? Non ne clariſſime apparet, una calamitate qualibet afflictum, alteram ingruentem difficilius multo perpeſſurum? Attamen ſi Medicus ante cuncta proſpexerit, etiamſi periclitantem non ſervarit, nemo, ut imprudentem periculi jam prænuntiati arguet, nemo dicet improvidum. Sed certum eſt, ſua prognoſtica laudi potius illi, quam vituperationi, aut poſſeſſæ famæ diſpendio fore.

XX. Interim meminiſſe juvat, quod tempore verno, primaque æſtate pueruli, & qui pueritiam non exceſſerunt, fere valent optime: totis æſtivis menſibus, & inchoato autumno ſenes: hieme robuſti juvenes, mediosque viri annos agentes. Peropportunæ morbis ſunt inæqualiter aut frigidæ aut calidæ tempeſtates, vel crebra viciſſitudine ſiccæ & humidæ, interiorem motum & calorem animalem tum extollendo, tum deprimendo ſæpe numero variantes. Teneris tamen ætatulis oris ulcera, diſtentiones nervorum, dentitio, canini præſertim cum ſe erigunt, inſidias tendunt omni tempore ſuſpectas: Adoleſcentiæ flammata ſidera flagrantiſſimo æſtu comminantur: Senectutem frigora media brumæ inimiciſſime territant. Quas ob res, ubi *Variolæ*, ſive terris a peſtifera ſtella remiſſæ, vel e profundis barathris in apertum migrantes, aut primo quoque conceptu hominibus ingeneratæ, non aliter ac cæteri tumores & puſtulæ emergant, & contagioſæ ſerpant, ratio primum habenda eſt de ætate, viribus, ac temperatura corporis infecti; deinde opportet anni tempus, & cæli conditiones condiſcere; in eventus denique peſtilitatis annuæ, quorſum crebrius ceciderint, curioſius inquirere. Nam quotannis ferme, interdum mitiores, interdum acerbiores recurrunt. Interdum inter *Variolas* numeroſis feraciores contagiis, multiplicati peſtilentes halitus haurientem communes auras necant, & ſpiritum non homini non feræ ducere tutum eſt: Imo nonnunquam perpeſſos etiam, denuo * corripiunt. Nempe cum adventitium quid peſtiferum in ſparſas *Variolas* inceſſit, & irritamenta malorum attulit. Febris porro ad purgandum ſanguinem ſatis idonea, fervoribus exæſtuans illum corrumpit. *Variolæ* homini toleratu faciles, paucis ad malum additis, vel de neceſſario vitali robore detractis, fiunt

exitia-

* AMAT. Luſitan. Cent. III. curat 15. in Schol. *Hoc anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Anconæ contigit, ut pueri omnes, & grandes natu aliqui, qui olim jam Variolas & morbillos paſſi ſunt, in eas rurſus incurrerent.*

exitiales. Ita corpora quæque calorem & frigus certis legibus tolerant, & ſine mutatione notabili tum concaleſcunt, tum refrigerantur. Fervida vero & congelata vel in fumum & vapores abeunt, vel cinefacta diſſolvuntur; utraque verſa in aliam conditionem diſſimillimam mutantur. Ita *Variolarum* peſtis, quæ naturæ & moderatæ febris conatibus domita ſine magnis perturbationibus expellitur, ab acceſſu morbido, vel ab erratis exaſperata occidit. Quam diſparati bullitus fiunt in aqua & calce, in chalcanthi oleo & ſpiritu vini per appoſitionem alterutrius diſparilem? Iisdem ignibus ſubigentibus * vini ſpiritus citius aqua, aqua promtius mercurio bullire incipiunt? Quam diſcordes & contentione & effectu concitantur impetus in carbonibus **, nitro, & ſulphure mixtis, quorum partitiones inter ſe notabiliter diſcrepant? Scire tamen quando *Variolæ* calamitatibus ſpectabiles extiterint, & num

* PHIL. Transact. n. 197. Act. Erudit. Tom. 2. Supplem. Sect. 9. Memoir. de l'Acad. Roy. de Scienc. An. 1702.

** Pulvis ejusmodi aptior ad uſus & valentior æſtimatur compoſitus ex Nitri puri P. XII. Carbonum P. III. Sulphuris P. II. & quadrantali. Quæ ſimul pinſa continenter, ſpatio unius diei & noctis, in mortario cum adjecto ſpiritu vini, urina, vel aqua; mox deinde per anguſta foramina cribri ſetis equinis contexti evoluta, ut grana minutiſſima cadunt. Qui ſolent pinſere frigidam identidem affundunt, ne materies percalefacta & ſicca ſubitas inter crebram pinſationem concipiat flammas: *Mietz Artilleriæ Praxis recentior.* Tom. II. contendit probare, Pulveris iſtiusmodi præparationis libras CLXXX. ſic pollere ad efficientiam velociſſimi & validi jactus, ad bombos, ad concuſſus, ad ſubruendum, ut tantundem efficiant, quantum libræ CCXL. diſſimili partitione materiæ parati. Videlicet ex Nitri P. C. Sulphuris P. XXV. Carbonum P. XXV. ſive Sulphuris XX. & Carbonum XXIV. Pulvis optimus & electiſſimus creditur a quo ſuperpoſito & incenſo charta nec tingitur, nec amburitur. Carbones fiant ex coryli ramis, deraſo cortice, ſole ſiccatis, uſtis, tum in faſciculos colligatis, diemque unum noctemque defoſſis. Voſſius confiſus oculato teſte Tavernier, & auriti Kirker cœco teſtimonio memorandum hujus pulveris inventum attribuit cuidam Viteji Sinenſi Imperatori an. Aer. Chriſt. 85. Sed in Europa inventor primus fuiſſe videtur Rogerus Bacon Franciſcanus, an. 1230. In ejus etenim ſcriptis, edit. Francofurt. 1503. ita non prorſus obſcuram injicit ſuſpicionem: *Soni velut tonitrus, & coruſcationes fieri poſſunt in aëre; imo majore horrore, quam illa, quæ fiunt per naturam: nam modica materia adaptata, ſcilicet ad quantitatem unius pollicis, ſonum facit horribilem, & coruſcationem oſtendit vehementem, & hoc ſit multis modis, quibus civitas, aut exercitus deſtruatur, admodum artificii Gedeonis, &c.* Alibi etiam myſticis verbis curioſo illudit: *Accipe ſalis petræ, Luru. Uopo vir canutri, & ſulphuris, & ſic facies tonitrum, & coruſcationem, ſi ſcias artificium.* Itaque Rogerus ille Bacon Franciſcanus celebris Phyſicus in Anglia non aperuit myſterium terribilis pulveris conficiendi. Sed Bertoldus Schvvartz Danus ex peninſula Jutlandia quærens aliud in compoſitionem hujus pulveris incidit An. Aer. Chriſt. circiter 1380. & inventoris primi nomine nuncupatur.

num in magnis cladibus ſolas *Variolas* medici culpaverint, in diſputatione generis hiſtorici de *Variolis*, alicujus eſſet momenti.

XXI. Quærimus igitur, quo primum tempore *Variolæ* formidoloſo aſpectu ingenia Medicorum permoverint ad certandum, ut inviſæ calamitati modum imponerent? & num certiora ſigna notarint, quæ ſolum ad *Variolas* referri oporteat, ubicunque ſubitæ febres & vultus & membra puſtulis emiſſis fœdant, deformitates deformitatibus, ſtrages ſtragibus accumulando. Verum enim ſiquis velit certis temporum notis inſiſtens disquirere, quando & ubi primitus *Variolæ* in peculiarem morbi ſpeciem contractæ oculis coram animisque formidatæ inhæſerint, haudquaquam ad tentamina eventus reſpondebit, nec id facile reperiet uſpiam. Etenim monumenta nulla extant, ſi tempus referas ad illos homines, qui *ſemel, **iterum, ac ***tertio abſorpti ſunt aquis: Inde nihil certi conſignatum litteris occurrit poſt Ogygis cataclysmum & inundationes Theſſaliæ, tempore Deucalionis, usque ad reſtitutos Olympicos ludos. Inde bene preſſa veſtigia ſcientiarum, notionesque liberalium ſtudiorum quærenti ante Samium Pythagoram a vero utique ſæpius deerrandum eſt. Nimirum inter fabulas & ludicras Poëtarum exercitationes, inter mutilas & ambiguas narratiunculas de religioſis adorationibus deridiculis, de ſuperſtitionibus abſurdis, de Chaldaica prædicendi ſcientia, de Phœnicum inventionibus, captandique præſagia ſtellarum divina ſolertia, de mirabili denique farragine doctrinarum Perſis, Indis, Thracibus, Scythis & Getis cum lacte a nutricantibus inſtillata.

XXII. Itaque quoniam antiquis ab annis nulla ad nos conſtans fama deſcendit de memoratu & ſcitu dignis, quæ mentes & ſtudia gentis humanæ primis Mundi ætatibus occuparunt, idcirco rerum ſcientias;

* An. Mundi 1656.

** VARR. de R. R. Lib. III. in Præfat. *Thebæ, quæ ante cataclysmon Ogygis conditæ, eæ tamen circiter duo millia annorum & centum ſunt.* Auguſtin. de Civit. Dei cap. 18. mentionem facit de Cataclysmo Ogygis Thebanorum Regis, qui Thebas Boe- Boeotias ædificavit mille circiter & quingentis annis ante Romam conditam.

*** An. Mundi 2438. Juſtin. Lib. II. c. VI. *Aquarum illuvies majorem partem populorum Græciæ abſumpſit. Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Theſſaliæ Deucalionem ratibus evecti ſunt: a quo propterea genus humanum conditum dicitur.*

tias, & ingenuas diſciplinas a Græcis primulum excultas arbitramur. Nam primigeni illi, quantumvis profecerint in miniſteriis paſtoritiæ induſtriæ, atque Agricolarum, ecquod monumentum potuiſſet reſiſtere nimbis ex omni cælo dimiſſis, & aquis ex profundis terrarum ſinibus patefactis erumpentibus, quæ defrænatis revolutæ fluctibus, mox culmina ſupra merſasque turres celſius evagatæ, & colles & montes illico nactæ altiſſima demum juga ſuperarunt? Certe nulla conglutinatio, nulla corporum animalium compages, neque artificioſe digeſta ulla ſubſtructio profunda, vel exſtructa moles diu reſiſtit vorticibus vaſtis aſſidue incurrentibus, & cuncta tandem penetrantibus undis. Ergo poſt diluvium in univerſa effuſum, nec res, nec rei memoria ſub ſole incorrupta remanſit. Pauculi vero ſuperſtites generi humano pene demerſo, tabidaque ſolutione omnino quaſi dilapſo, quatuor viri, quatuor mulieres, octo de multitudine innumerabili, ubi decreſcentibus aquis, e ſervatrice navi * egreſſi lutulentas & deſolatas cœperunt habitare terras, cui negotio prævertendum exiſtimaſſent, niſi conquirendis, aut parandis iis, quæ neceſſitas, & naturales appetitiones crebrius repoſcerent, ut indigentiæ acrius urgenti mature conſulerent? igitur de luto & virgultis caſas efficere, cuſtoditis ignibus frigora & tenebras expellere, dulcis aquæ conceptacula fodere, ad agriculturæ ſtudia ſolertiſſime ſe revocare; itaque ſubſidium novum defatigatæ naturæ humanæ muſtum datum. Sed grandævus uvæ maturæ vinitor crimen vinarium primo agreſti & paſtoritiæ filiorum ſodalitati cognoſcendum ebrius nudusque ſtertens retexit. Proinde hiſtoriæ veritati non repugnat opinari, reparatores gentium, quas portentoſi aquarum gurgites abſorpſerant, eas potiſſimum artes cœpiſſe retractare, quæ ſegetes, prata, oleta, vineta, hortusque irriguos procurarent: atque ea ſtudia excolere, quæ manus lanificas exercerent, ut adverſus ventorum verbera & imbres amictum ac tegmen invenirent, ut contra feroces nec opinos ferarum incurſus munita perfugia nacti invaderent. Scilicet donec, nepotibus & pronepotibus longa die multiplicatis, genitores & progenitores paternis ſedibus digredientes, unusquisque cum ſuis poſteris, alius trans Euphratem commigraret, longius alter abiret, ad vaſtas pla-

F 3 nities

* Geneſ. Cap. IX. Diluvium incepit An. Mundi 1656. & aquis obrutæ fuerunt, vel madidæ præter modum terræ an. I. & dies X.

nities Senaar tertius procederet; ubi poſtea turrita ſtetit deinceps Babylon, & * pronepos initium Babyloniaci regni fecit. Robuſtus quod abnepos aliquis poſtmodum, non venator ſolum & ferarum domitor, ſed gentibus etiam humanis formidabilis amplificavit. Cupiditas autem conſequendi res ad vitam neceſſarias enudavit novas intelligentias iis, qui Aegyptiacos occupavere campos ad culturam. Conturbante quippe Nilotica redundantia ſatus, direptæ meſſes ex tota regione circa ſolſtitium a recedentibus undis admonuerunt, ſerendi, occandi, & ſariendi mores aliarum regionum ibi non eſſe obſervandos. Inde Solis, Lunæ, Stellarum, Siderumque ortus, obitus, & effecta comprehendere animo aggreſſi, ut præviderent, quando ventus exortus a ſeptentrione vapores humiferos in Africa cogeret pluviæque Nilum augerent. Inde, ** "*priſca doctrina pollentes Aegyptii.*„ Ad quos *** Pythagoras commigravit antequam in Italiam transvectus Crotone rectam ad ſcientias aperiret viam clare docens. **** "*Aliud eſſe poetarum more verba fundere; aliud ea quæ dicas, ratione & arte diſtinguere.*„

XXIII. Cum autem omnis humana intelligentia nihil aliud comprehendat præter hominum aut cogitata, aut facta, aut ſpecies rerum, quibus vivimus, in quibusve verſamur; idcirco quo quisque eſt ingenioſior, tanto magis cupide fertur ad ſuperanda quæ obſtant, quin diſtincte appareant bona & mala quoties animis oculisque obſervantur. Sed quoniam phyſicæ notiones prudentem præcipue allectant, ſapientia clari quicunque antiquitus illuxere, Phyſicorum & Medicinæ concordiſſima ſtudia excoluerunt: multaque ſcripta ejusmodi extitiſſe olim Socrates apud

* Geneſ. X. *Cham filius Noe genuit Chus, & Chus Nimroth. Ipſe cæpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino. Ab hoc exivit proverbium: Quaſi Nimroth robuſtus venator coram Domino. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achat, & Chalanne in terra Senaar.*

** L. APVLEJ. Metam. Lib. XI.

*** CIC. Tuſc. quæſt. Lib. I. Cap. XVI. *Pythagoras diſcipulus Pherecydis Syri cum Superbo regnante in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cum honore & diſciplina, tum etiam auctoritate. Multaque ſæcula poſtea ſic viguit Pythagoreorum nomen: ut nulli alii docti viderentur.* . . . Cap. XVII. ibid. *Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia.* Cic. Tuſc. quæſt. Lib. IV. ad M. Brutum Cap. I. T. Liv. Hiſt. Lib. I. Cap. XVIII. Plin. Hiſt. Nat. Lib. II. Sect. VI. *Eundem eſſe Luciferum Veſperumque Pythagoras Samius primus deprehendit Olympiade circiter XXXII. qui fuit Urbis Romæ annus CXIII. Hoc affirmat Stobaus Lib. I. Eclog. 53. ex Apollodoro: atque Diogenes Laërt. Lib. VIII. in Pythagora:* quamquam in Lib. IX. Parmenidi tributum etiam ſcribat. De Pythagora Plutarch. in Numa Cap. XV. De Iſid. & Oſirid. Cap. XI. De Auditione Cap. XXI. & Juſtin. Lib. XX. C. IV. Valer. Max. Lib. IV. c. I. ext. I. Lib. VIII. cap. VII. ext. 2. 3. & cap. XV. ext. I. *Pythagoræ tanta veneratio &c.* A. Gell. noct. Artic. Lib. XVII. cap. XXI.

**** CIC. de Fin. B. & M. Lib. IV. 4. in fine.

apud * Xenophontem memorat, & ex Hippocratis libris capta licet conjectura videre. Vix tamen nomina Dioclis, Praxagoræ, Euriphontis, Democriti, Heracliti, velut memoriales reliquias Medicorum a majoribus accepimus. Aegyptiorum ſcire Medicum, ut refert Diodorus per id conſiſtebat, ſi ægri obedienter imperata facerent juxta leges uno complexas codice, qui religioſiſſime cuſtodiebatur. Merito unam legum illarum Ariſtoteles non eſt veritus in ſuis ſcriptis politicis deridere, qua vetabatur ægrotanti medicinam ante diem quartum adhiberi. Poſt Hippocratem anno centeſimo Herophilus & Eraſiſtratus claruerunt in Alexandrina Schola ſumptuoſe a Rege Ptolomæo Lagi filio fundata, & nongentis ferme annis poſtea deinceps celeberrima usque ad everſores & vaſtatores omnium ** Saracenos. Exhinc ad Galenum ab Hippocratis ætate circa quingentos annos diſtinctum pauca ſuppetunt in monimentis ad notitiam medicinalem Alexandrinorum comparandam, ſolusque *** Aretæi Cappadocis liber mancus & imperfectus lauta eſt medicinæ illorum temporum, quæ ad nos pervenit, ſuppellex. Galeni poſtmodum verboſiorem fortaſſe facundiam peripatetica ſubtilitate extenuatam commenta, opinationes & medici ambitione, contentione, ſectæ diſcrepantia diſcordes exceperunt. Sic elapſæ de mentibus hominum utiles medendi notiones cedere viſæ ſunt captioſis & fallacibus technis. Imo ſummam Imperii turpiſſimo † Thrace & perfido parricida tractante, in Græcia & Latio ingenuis diſciplinis abolitis, atque demum cum Carolo Magno Imperatorio Jure vitaque defuncto usquequaque obliteratis, per Aſiam, Africam & Hiſpaniam ſoli Arabes Philoſophiam & Medicinam audacter magis & glorioſius de ſe prædicantes, quam ſcienter docendo vel utiliter medendo profitebantur. †† "*Adeo maxima quæque ambigua ſunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt. Et gliſcit utrumque poſteritate.*"

XXIV. Interim Græca & Latina quæ ſtudioſis Medicinæ volumina ſuperant, fideliter docent de Abſceſſibus, de Tumoribus, de Puſtulis, Papulis, Panis, Claris, Varis & Lenticulis. De Impetigine, Vitiligine, Phymate, Struma, Vomica, Mentagra, Carbunculo, Furunculis, ac de Tuberculis cum inflammatione & dolore & febre differunt. De *Variolis* verbum nullum. Rhaſis, Avicenna, Abinzoar glorioſus, & Averrois Arabes puſtularum quoddam genus *Variolas*, inaudito & novo Medicis vocabulo compellarunt: Sed novum mortalibus non dixere malum, niſi nos fallat, qui latinas fecit Arabum ſententias. Quinimo litteris conſignarunt unanimes, natum homine, nulla quidem præſtituta die, neceſſario tamen ſemel a *Vario-*

* XENOPHON. Memorab. Lib. IV. c. 2.

** Poſt Heraclium a militibus & Senatu Imperatorem pronuntiatum An. Aer. Chr. 610.

*** ARCHIGENES Medicus Trajani tempore florens eadem ſcripſit, ac Aretæus. Adeo ut qui unum noverit utrumque noverit.

JUVENAL. Satyr. VI. v. 235.
. . . *tunc corpore ſano*
Advocat Archigenem, oneroſaque pallia jactat.

† Phocas, trucidato Mauritio cum tota familia Chalcedone An. Aer. Chr. 602. Auguſtus ab exercitu, qui conſpiraverat in cædem appellatus.

†† TACIT. Annal. III. cap. 19.

17-206

Variolis corripiendum, ut impuritates a ſanguine menſtruo ſibi ſuſceptas in utero cum emiſſis purulentis tuberculis aliquando diſpellat. Quare aliorum ſententiæ ** Avicenna hæc ipſa ſubjungit: *Variolas* pulmonibus, gutturi, oculis, & naribus perniciem moliri, cum non ſola humorum rejectanea in purulentam colluviem convertunt, ſed utilia ſimul corrumpunt. Itaque advigilandum ad cuſtodiam vitæ & partium, quia perturbationes imminent acerrimæ, niſi lethales. Lentem eſui & ejus decoctum potui dari ſuggerit. Forſan quia leguminoſis epulis & præſertim lenticula Judæi orientales & Arabes plerumque ſatiantur. *** Rhaſis pullum & avem implicitis in *Variolis* interdicit, niſi prius & aridæ puſtulæ, ſquamulæque corpore exciderint. † Zoar contra idiotas æternos ignes & non violabile numen teſtatur, mella & ſalitos piſces eſitare ad curationem *Variolarum* non convenire.

XXV. Itaque Arabes communiter cum Græcis & Latinis prioribus, novitatem vocabuli ſi excipias, *Variolas*, ut Furunculos, vel tubercula curabant. Furunculus enim, vel cum inflammatione & dolore in pus vergens, per ſe ſine periculo crebrius matureſcit, & disrumpitur. Ita pariter

Cum ſanguis nimius puri commixtus atroci
Aeſtuat, & papulas alte ſuſtollit acutas. Q. TEREN. Samonicus de Furunculo.

Si papulæ, puſtulæ, vel *Variolæ* in purulentos parvos abſceſſus abeant, ſanatio prompta eſt & facilis †† "*etiamſi nulla curatio adhibeatur.*,, At vero ſi, "*ut in miſero Sileno*,, qui in Platamone habitabat juxta Evalcidis Aedes "*octavo die poſt commotam febris vehementiam puſtulæ rubentes, rotundæ, parvæ, varis non abſimiles per omnia membra ſudoribus perfuſa erumpant, undecima fere luce morbi & vitæ fit denique finis*,,: Victus tenuis, potiones aquoſæ, immodici æſtus refrigerationes, quies, & papaverum ſucci opportune convenienterque dati *Variolas* & impuritatem ſecernunt. Sed interdum ††† "*dolor efficit, ut potior Medicina ſit, quæ maturius liberet*,,.

* FEN. 4. lib. 1. cap. 11. tract. 4.
** De *Variolis* Cap. XII.
† In Libro Theiſir.
†† CELS. Lib. V. Cap. XXVIII. 8.
††† CELS. Lib. V. Cap. 28.

Prava:		Emendationes:
Pag. 6. lin. 24. paputæ	--	papulæ
Pag. 7. in ſubter notatis - intemerandi	--	intemeranda
Pag. 8. in ſubter not. - *auiem*	--	*autem*
Pag. 17. lin. 18. - ſiſcitando	--	ſciſcitando
lin. 19. - mentem advertit	--	mentem exercet
in ſubter notatis - *annis*	--	*anni*
Pag. 18. lin. 2. - ſanneſcentis	--	ſaneſcentis
Pag. 19. in ſubter not. - pacta	--	Poëta
Pag. 22. lin. 9. - cutim	--	cutem
Pag. 24. lin. 9. - ſumopere	--	ſummopere
lin. 13. - pure mature matureſcente	--	pure matureſcente
lin. 26. - Scipione	--	ſcipione
Pag. 30. in ſubter not. - *potuique ſuccurſum*	--	*potuque ſuccurſum.*

J763
D613 m

48 S.

5/16 [illegible]

M DCCLXIII